Synodus Posnaniensis
1689.

Synodus Posnaniensis a. 1689 celebrata.

Sinodus 5

S

Book & by m eyk i
ryning de la Haye en

SYNODUS POSNANIENSIS,

Post gloriosam

ALEXANDRI VIII.

Pontificis Maximi

ad Vicariatum DEI Hominis exaltationem vigesima die inchoata,

Sub Protectione

JOANNIS III.

Poloniarum Regis Orthodoxi

CELEBRATA,

Per NOS

STANISLAUM

in Magna Witwica,

DEI, & Apostolicæ Sedis gratiâ

Episcopum Posnaniensem,

ejus Nominis Tertium,

In Ecclesia Cathedrali

CONVOCATA,

Anno ab Incarnato Verbo 1689.

VARSAVIÆ, Typis Collegij Scholarum Piarum.

SYnodi Diœceſanæ quotannis celebrentur: ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs, ceſſante exemptione, intereſſe deberent, nec Capitulis generalibus ſubduntur, accedere teneantur, ratione tamen Parochialium, aut aliarum ſæcularium Eccleſiarum, etiam annexarum, debeant ij, qui illarum curam gerunt, quicunq; illi ſint, Synodo intereſſe. *Conc: Trid. Seſſ. 24. cap. 2. de Reform.*

Hic Liber dono oblatq ab Illmo R. D. Hermenegildo Szczaniecki Can: Cath: Posnan. Praep. Otoroviensi pro Bibliotheca Szamotuliensis Collg ad S. Crucem Reformator. A 1762 d 4 Aprilis orate pro eo.

SERMO
Suæ Reverendiss: Celsitudinis.

REgem sæculorum, & immortalem Dominum, quadraginta octo post annos, Synodaliter hoc in loco venimus adorare Illustrissimi Confratres, Reuerendissimi Fratres, Consacerdotes Charissimi. Hoc inquam in loco, vbi septem ante Sæcula è vetustissima Vrsinorum Propagine oriundus Iordanus ille, qui ad propagandam DEI gloriam, à Stephano Septimo Pontifice Maximo remotiorem missus ad Septemtrionem, nunquam conuersus est retrorsum, sed gladio Petri, quem à Successore ejus acceptum huc tulerat armatus; zelo Pauli animatus; vt Nomen veri DEI nostri portaret coram Gentibus: Episcopalem hanc primus fundauit Ecclesiam, sub titulo Principum Apostolorum; Protoregum Poloniæ, munificentiâ dotatam, supremo in temporalibus Iure & Regalibus conspicuam. Sexaginta septem Præsulum scientiâ Sanctorum illustrium, numero, venerandam: Amplissimo Clero Hierarchicâ varietate distincto decoratam, Diœcesanâ curâ per duas vrbes, quarum hæc antiquorum Regum residentia, & sepultura; altera Regia aula & Electione Comitiorum Regni frequentia

Timoth. 1.

Act: 9.

Posnania.

Varsavia.

præcla-

præclam, per millenas Parochias, quinq; Abbatias, quadraginta Ciuitates, septuaginta Oppida, bis mille Pagos diffusam; in tantum, vt hæc Ecclesia mereatur magnam
Apoc. 21. *illam de Throno audire vocem:* Ecce tabernaculum Domini cum hominibus, & habitabit cum eis.

Exod. 3. *Si ergò locus in quo cõsistimus Synodaliter, terra Sãcta est, cui tantopere benedixit Dominus, Diuina monemur voce, ut cum Moyse calceamẽta sæculi deponamus, qui ad Pharaonem mundi missi sumus; ut vanitate sua detentũ dimittat populum DEI. Nos inquam, qui vocẽ Saluatoris in Sacro*
Ioan. 20 *Euangelio legimus nobis loquentẽ:* Sicut misit me Pater, ita &ego mitto vos. *nimirum ut legatione pro Deo fungamur.*

Hebr. 5. *Et hæc est vocatio Nostra, qui ex hominibus assumpti, pro hominibus constituimur in ijs, quæ sunt ad DEVM; vt offeramus dona & Sacrificia pro peccatis, quemadmodum pro populo, ita etiam pro nobismetipsis.*

Pro hac legatione, Apostolos suos instruit Christus nobis relinquens exemplum & doctrinam dum dicit: Vos
Matt. 5. estis lux mundi. *Ergò vt in DEO tenebræ non sunt,*
1. Ioan. 1. *ita in nobis, Ministris ejus, ignorantiæ tenebræ locum non*
Luc. 11. *habent. Positi sumus in candelabro Ecclesiæ, vt lux*
Matt. 5. *operum nostrorum & boni exempli luceat coram hominibus, vt glorificent Patrem, qui in cœlis est. Nostra itaq;*
Rom. 13. *obligatio est, honestè tanquam in die ambulare; nè blasphemetur in nobis Nomen Domini.*

Instruit iterùm Legatos suos Saluator dicens: Vos
Matt. 5. estis sal terræ. *Ergò vocationis nostræ opus est, à putredine sæculi, à corruptione peccati, sale æternæ Sapientiæ, doctrinâ nimirùm Christi præseruare gregem Dominicum. Si verò sal nostrum per sæculi cupiditates ita in nobis fuerit*

rit

rit infatuatum, ut fiat Sacerdos sicut & populus; quid ali- Isa. 24.
ud supererit, nisi (quod jam crebris, proh dolor, experimur occasionibus) ut sal nostrum mittatur foras, & justo DEI judicio conculcetur ab hominibus.

Dicit tertiò Saluator: Vos amici mei estis. Si amici Ioan. 14.
DEI, quomodo simul & mundi? Nemo potest servire Matt. 6.
DEO & mammonæ. Si tenemur esse amici DEI, cur non sumus inimici mundi? Vtiq; Christus de mundo vocauit nos? Vtiq; Regnum Christi, quod intra nos est, non est ex hoc mundo? Cur ergò gaudeamus cum mundo, qui pro nostris & alienis peccatis tenemur plorare coram Domino.

Dicit idem Saluator: Ite & prædicate Evangelium. Marc. 16.
Et nos tanto tempore pleriq; stamus otiosi, Nec dicere valemus: Nemo conduxit nos. Ecce Christus per Vi- Matt. 20.
carium suum Sacerdotij charactere, potestate Ordinis, tot priuilegijs, dum exaltauit nos supra cæteros, conduxit nos, misit in vineam suam. Pij Imperatores & Reges, Majores Nostri tàm opulentis fundationibus, tàm decoris immunitatibus conduxerunt nos; & tamen stamus otiosi. Iussi sumus prædicare Christum Crucifixum & Euangelium ejus. Et nos toties prædicamus nosmetipsos pro Christo, & pro Euangelio doctas fabulas, vel dum prædicare debuimus, silemus; veritati & innocentiæ non succurrimus.

Audiuimus jam vocem Christi, videamus exemplum.
Christus cognoscit oues suas, & cognoscitur ab ouibus. Ioan. 10
Poterimus nè idipsum de nobis prædicare? qui cum ouibus non residentes, sæcularibus vel œconomicis distracti curis, potiùs in aulis, quàm in Christi caulis commorantes,

nec

nec cognoſcimus, nec cognoſcimur ab ouibus; quæ vocem noſtram vel rarò, vel nunquam audiuerunt.

Chriſtus inter propria diſcrimina ſolicitus eſt, nè ex ijs,
Ioan. 17. *quos ipſi dedit Pater, aliquis pereat. Quid nos ſimile agimus, quorum pleriſq; millia, & centuriæ hominum com-*
4. Reg. 10. *miſſæ ſunt; Scientes ad nos eſſe dictum:* Anima tua ſit pro anima ejus.

Philip. 2. *Chriſtus* obediens vſq; ad mortem: *videamus an & nos ſimiliter obedimus Præpoſitis noſtris? vbi eſt in nobis Chriſti humilitas? vbi manſuetudo? vbi patientia? vbi Charitas? quæ animam ponit pro ouibus ſuis.*

Quis noſtrûm in habitu peccatorum jacentem tanquam
Ioan. 11. *in monumento fœtidum Lazarum ſuſcitauit cum Chriſto? Quis cæcutientibus ad lumen veritatis heterodoxis, quos in Diœceſi habemus, reſtituit viſum. Poſuimusnè nos*
Ezech. 32. *aliquando coram Domino ſepem pro Domo Iſraël. Tenui-*
Exod. 32. *musnè precibus noſtris vt Moyſes, irati Numinis manus, nè plaga feriret populum. Eleuauimusnè in monte manus noſtras ad Dominum, vt IOANNES REX noſter ceu alter Ioſue, pro DEO, Sacraq; Religione dimicans*
Ion. 1. *vinceret. Nonne potiùs ſimiles ſumus Ionæ, qui Niniuen miſſus, contemplatione voluptatis, quod ſignificat Tharſus, à facie Domini fugimus; Et ideò propter nos hæc eſt tempeſtas, quâ Eccleſiæ & Patriæ propè quadraginta annis, jactatur nauis: Nos verò fortè adhuc profundo ſopiti ſomno minimè expergiſcimur.*

Adjuro ergò vos Conſacerdotes Chariſſimi, per noſtram populorumq; ſalutem, juxta doctrinam Pauli: Renoua-
Epheſ. 4. *mini Spiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem. Et juxta illud:* O Sacerdotes & Miniſtri Domini:

State

State ſuper cuſtodiam veſtram, vt detis gloriam Nominis DEI. *Audiamus illa verba, cordi & memoriæ eadem imprimamus:* Accedat Sacerdos ad altaris tribunal vt Chriſtus, aſſiſtat vt Angelus, miniſtret vt Sanctus.

Quod vt certa methodo exequamur; ecce pro noſtro veſtroq; in Spiritu profectu, proprio labore tranſcripſimus, concinnauimus quaſdam viuendi regulas, & regendi Populum normas; ex antiquis iiſq; Oecumenicis Concilijs; præſertim verò ex Sacroſancto Concilio Tridentino, Sanctiſſimorum Pontificum Bullis, Sanctorum Patrum placitis. Reſtat vt hunc Paſtoralem laborem Noſtrum, Paternâ & fraternâ charitate conditum Noſtræ veſtræq; ſaluti proficuum, mox legendum attentè audiatis; & peracta hac Synodo, publicæ luci traditum, crebriùs lectitetis, memoriæ imprimatis, vitâ & moribus exprimatis. Vt attendentes vobis & gregi Dominico, quos Spiritus Sanctus voluit Eccleſiæ DEI præeſſe Paſtores, peruigilemus tanquam rationem reddituri: vt legatione pro DEO ad homines, & pro hominibus ad DEVM ritè perfuncti, audiamus vniuerſi & ſinguli, in ſuprema illa hora vocem Dominicam: Euge ſerve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Act. 20.
Hebr. 13.
Matt. 25.

ACTA
&
CONSTITUTIONES
SYNODALES,

juxta
Canones OEcumenicorum Conciliorũ,
ac præcipuè Concilij Tridentini,
nec non
Sanctorũ Patrum ab Ecclesia probatam doctrinam

Pro

bono Regimine Diœcesis Posnaniensis,
Iustitia & Sanctitate Cleri ejusdem

atq;

ædificatione populi Christiani famulantis

DEO

Vni & Trino

Sub

Visibili Capite Ecclesiæ militantis,

PROOEMIUM.

CVM Sacrosancta & Vniversalis Ecclesia, pre-
tiosissimo Sangvine Domini nostri IESV Christi
acquisita, sub Pontifice Romano, tanquam sub
vno, eoq; visibili in terris Capite militans, ad illã
triumphantem in cœlis, cum Christo regnantem
continuò tendat & aspiret; ideoq; illibatam fidem servat Spon-
so suo Christo, bonum certamen certat, cursum sæculorum con-
summat; vt post gloriosas de mundo, de carne, & Principe tene-
brarũ victorias, ad repositam illam coronam Iustitiæ perveniat,
quam reddet ei justus Judex DEVS in die illa; quapropter &
Nos, qui sumus ejusdem Ecclesiæ portio, quorum vita est mili-
tia in terris, quos Sacerdotes seu Sacros duces populo suo de-
dit Christus & Vicaria ejus potestas; qui sumus *Mysteriorum Dei* 1.Cor.4.
dispensatores; tenemur audire Spiritum Domini ore Principis A-
postolorum quotidie & incessanter clamantem: *Fratres sobrij esto-* 1.Pet.5.
*te, & vigilate; quia adversarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens,
circuit, quærens quem devoret.*

Vniversalis sobrietas (quam tenere jubemur) est abstinentia à
mundo, qui vanitate suâ humanos inebriat sensus, ut ita temu-
lenti à via veritatis devij, tumulentur cum illo mundano divite Luc.16.
sepulto in inferno. Ideò non carnales, sed in carne sumus spi-
rituales; vt Spiritu vivamus, vocamur, eò quod Spiritum DEI
sequi teneamur, neq; ea, quæ mundi sunt sapere: frustra enim
nos Christus cum Apostolis de mundo vocâsset. Jubemur &
vigilare, quia vigilantia Pastorum est. Et dum vigilarent Pasto-
res, *Gloria in excelsis DEO, & in terris pax hominibus* nunciata est. Luc.2.

Tum quòd Doctor Gentium, Nos Pastores alloquitur, dicens:
Act. 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI.* Vigilantia ex solicitudine Pastorali oritur, somnum excutit, lethargum arcet, somnia mundana & vana fugat, à Nobis & gregis Nobis commissi oculis, dum nox temporum imminet, & leo circuit, quærens quem devoret.

Ergò vocationis nostræ, si perpendamus, munus consistit in hiscé duobus: in temperantia à vanitate mundana, & vigilantia Pastorali. Vtriusq; remedia ab Evangelica veritate, ab OEcumenicis Concilijs, ab Ecclesiastica disciplina in hac Synodo petamus, adeò: vt quemadmodũ Vniversalis Ecclesia, ita pars ejus Diœcesis Nostra Posnaniensis, Sanctis pijsq; præmonita, & præmunita præceptis, stet in acie contra adversarium nostrum dia-
Cant. 6. bolum, *tanquam castrorum acies ordinata.* Nè ex ijs, quos tradidit Pater Æternus Vnigenito Filio, ille autem nobis concredidit, quisquam pereat. Nevé ánima nostra pro perditis animabus (quod avertat DEVS) & ipsa pereat, juxta illud, quòd quasi ad
3. Reg. 20. vnumquemq; nostrûm dicit Scriptura: *Custodi virum istum: is si lapsus fuerit, anima tua sit pro anima ejus.*

CAPUT I.

De Sobrietate Sacerdotali, seu Abstinentia à Mundi Vanitatibus.

Ex libris Hermenegildi [illegible]

De Fide.

CVM ergò nihil tàm efficaciter abstemias à mundana vanitate in nobis promovet cogitationes, quàm cœleste illud lumen & donum, viva in nobis fides. Id ante omnia agamus, vt quam fidei professionem juxta Formam Concilij Tridentini toties emisimus, & nunc emittimus, vt eam illibatam, semper charitate DEI & proximi formatam, non solùm conservemus, sed & in ijs, quorum cura salutis ad nos spectat, exemplo nostro, & solicitudine Pastorali, quàm maximè foveamus. Quod fiet, si id, quod ore profitemur, hoc in corde tenuerimus, & opere

opere impleverimus. Quid enim prodest diabolo, quòd credat & contremiscat? cùm non habeat hoc lumen cœleste, charitate animatam fidem. Vndè necesse est, juxta Apostolum, habere fidem in ore ad salutem, in corde ad justitiam: id est sanctificationem nostram, sine qua placere DEO non possumus. Cùm enim ex corde ascendunt cogitationes, si fides nostra manserit, cogitationes nostræ & operationes ascendent ad DEVM, non descendent ad terram. Ergò ori nostro semper jungamus cor, id cogitemus, quod dicimus, id dicamus, quòd cogitamus. Et sic juxta Apostolum, quæ sursum sunt sapiemus, & conversatio nostra erit in cœlis, exempla in terris. Tùm demùm habebimus fidem salvificā & rectā, tàm ad salutem, quàm ad Sāctificationem.

Iacob. 2. Rom. 10. Heb. 11. Colos. 3. Phil. 3.

De Fidelitate & Obediētia Sacerdotali.

POst fidem, quam DEO debemus, tenemur ad fidelitatē Sanctæ Matri Ecclesiæ, ejusq; visibili in terris Capiti, Vicario Christi, scientes, quòd qui non audiverit Ecclesiam, sit tanquam *Ethnicus & publicanus*. Vndè quidquid Sancta Mater Ecclesia per Concilia OEcumenica, quidquid Summus Pontifex Vicarius Christi, per Decreta sua & Ordinationes nos jubet, id fideliter observemus, & exequamur sine murmuratione, in humilitate cordis exhibentes nos semper dociles. Nam quicunq; huic Matri Ecclesiæ vel Capiti ejusdem, inflati sensu carnis, restiterunt, perierunt vt Dathan & Abyron. Vnde dolenter accipimus, quòd multoties reperiantur non solùm sæculares, sed & Spirituales personæ, quæ audent & præsumunt privatâ censurâ examinare Decreta Conciliorum, Summorum Pontificum Statuta, quasi Spiritus Sanctus, qui in Ecclesia DEI, cum Sede Petri manebit vsq; ad consummationem sæculi, teneretur reddere rationem singulis Nobis: & Canones Sacri per tot sæcula, Imperatorum, Regum, SS. Episcoporum veneratione & observantiâ exculti, Sanctissimorum Pontificum firmati authoritate, leuibus privatorum hominum ad libitum rationibus & conceptibus refutari possint & valeant. Quasi verò etiam disciplina Ecclesiastica, juxta Sacra monita non doceat omnem animam esse subditam sublimioribus potestatibus. Insuper audiamus

Matt. 19. Num. 16. Matt. 28. Rom. 13.

diamus D. Hieronymum: *Subditus esto Pontifici tuo, & quasi Parentem animæ suscipe eum.* & S. Paulus; *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Ecce Christus dicit: *Pater, non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quapropter, si quis Sacerdotum in Diœcesi Nostra, ejus temeritatis notatus fuerit, cujuscunque ille fuerit conditionis, eum tanquam suspectum de Hæresi suspendimus. Insuper præsenti Synodo decernimus, quatenus omnes Magistri & Doctores, factâ fidei professione, sub juramento sint obligati intra Nostram Diœcesim, promovere illud dogma, quo credimus Beatum Petrum Apostolorum Principem, accepisse à Christo Domino privilegium Infallibilitatis, eò: quòd jussus est confirmare fratres suos: quòd præter Petrum Apostolorum habuit nemo. Hocque privilegium Petri, vnà cum non deficienti fide, transisse ad Successores, Romanos scilicet Pontifices in tantùm! vt hæc *Sedes Sancta*, quemadmodum juxta Svessianum Concilium *à nemine judicatur*, ita illius solius est de Vniversis & singulis Sedibus judicare. Et quidquid hæc Sanctissima omnium Ecclesiarum Magistra probaverit, probatum & firmum est; quidquid improbaverit, non subsistit. Et hæc ferè septemdecem sæculorum fuit doctrina, cùm in primo Herosolimitano Concilio solus Petrus dicit de se: *Viri Fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus DEVS in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelij & credere.* Et ille qui ex Saulo Paulus, Vas Electionis factus, quamvis in cœlesti Sorbona eruditus, fassus est tamen ad Romanos: Quòd eorum fides (ubi scilicet Cathedra Petri erat) non Thessalonica, non Philippensium, aut Corinthiorum annunciaretur in vniverso mundo. Hinc omnia Concilia semper omninò expetebant approbari à Petri Successoribus, vt vim roburq; haberent suum. Qui verò contrarium præsumpserit docere in Diœcesi Nostra, eum vtpotè periculosi dogmatis propagatorem, suspensum ab Officio, & ad docendum in Diœcesi Nostra inhabilem declaramus.

Heb. 13. Matt. 26. Luc. 22. *Svessian. Concil. Dist. 21. cap. Nunc autem.* Act. 15. Rom. 1.

De Co-

De Cohabitatione & Conversatione Sacerdotum.

QUoniam conversatio nostra esse debet in cœlestibus, & Sanctis Canonibus, provisum est, nè sub vno tecto alter sexus cum Sacerdotibus cohabitet; Ideò Nos in comperto habentes, quantùm scandali & obtrectationum adferat prædictorum Sacrorum Canonum neglectus, decernimus præsenti Synodo, nè liceat sub pœnis à Canonibus impositis Diœcesis Nostræ Clero, sub tectum domûs suæ admittere alterum sexum ad habitandum vllo prætextu, sola excepta Matre. Et quamvis prædicta Concilia ejusmodi cohabitationem extendere videantur ad certos consangvinitatis gradus, in quibus fœdus naturale nihil sævi criminis suspicari videtur: quia tamen in Nostris, ac vicinioribus Provincijs, sine discrimine, citra omne crimen politicum, tàm Spirituales, quàm Sæculares, pingvioribus ac aromaticis infartiantur cibis, ac potu aggravantur, quo fit, ut dum mens obruitur, in fœdissima prolabi illos contingat; quibus dum pro Nostra Pastorali solicitudine obviare curamus, rigorem Canonis citra omnem novitatem assumendum decernimus. *Inhibendum est, vt nullus Sacerdos fœminas, de quibus suspicio potest esse, retineat. Sed neq; illas, quas Canones concedunt, Matrem, amitam, & sororem: quia instigante diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedisequis earundem. Sed si quæ de his necessitatem habuerit, Presbyteri habeant in vico, aut in villa domum, longè à sua conversatione, & ibi eis, quæ sunt necessaria subministrent.* Audiant boni Sacerdotes, quàm dolenter Gregorius Papa ejusmodi periculosam conversationem defleat, & qualiter in ea procedendum sit, instruat. *Oportet Sacerdotes, quibus Domini populus commissus est, cum magna animi constantia vigilare super Dominicas oves, nè lupinis morsibus, id est diaboli stimulis lanientur. Neq; enim hoc silere debeo, quòd cum gravi animi tristitia dico: Sacerdotes cum fœminis habitare conspicio, quod nefarium est dicere, vel audire, & contra Sanctorum Canonum sancita. Vbi enim talis fuerit commorantium cohabitatio, antiqui hostis stimuli non desunt. Ideoq; admonendi sunt,*

Conc. Nicæ. c. 3. Interdixit per omnia Sancta Synodus. Conc. Cart. 3. cap. 17. Cóc. Trid. sess. 25. c. 14. Quàm turpe. de Reform.

Concil. Mog. lib. III Decr. de cohab. Cler.

Dist. 81. c. 23.

di sunt, vt non antiqui hostis decipiantur fraude; quatenus juxta Aposto-li vocem, non vituperetur ministerium nostrum. Cavere enim nos oportet fratres ab illicitis, vt mundas valeamus ad Dominum levare manus: scriptum est enim; Levit.20. *Sancti estote, quoniam Sanctus ego sum Dominus Deus vester. Si quis verò præsumpserit aliter agere, Sacerdotij sui honore privetur. Vndè omnimodè cavendum est fratres, nè fallamus populum, & illud Prophetæ dictum impleatur in nobis:* Soph.2. *Sacerdotes ejus contaminant Sancta, & reprobant legem. quos, & alios Propheta increpat dicens:* Malach 1. *O vos Sacerdotes, qui fallitis Nomen meum, & dixistis, in qua te fallimus nomen tuum? quibus responsum est: offerentes ad altare meum panes pollutos. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & sacrificium non accipiam de manibus vestris, quia polluti estis.* Nihil ergo novitatis adstruimus, dum Sacros Canones ad praxim intendimus deducere. Item prohibemus sub pœnis decem marcarum uno curru cum eodem sexu vehi. In domibus autem separatis poterit foveri Paterfamilias vxoratus, dummodò vxor sit ætatis provectæ, filias aut cognatas circa se non habens, habeat bonam famam ab hominibus, & maritus non ebriosus, non se absentans, sit custos integritatis ejus. Item, vt nullus Sacerdotum Diœcesis Nostræ nuptialibus mensis, vel Sæcularium convivijs assideat: cùm Concilium Laodicense, tàm spectacula, quàm nuptias Clero interdicat, vt habetur de Consecr: dist: 5. c. *Non oportet Ministros altaris.* notorium est enim, quanto periculo se exponant, vilipendij, contemptûs, ebrietatis Sacerdotes DEI, cùm se immisceant ejusmodi occasionibus, à quibus aliquando sine vulnere & improperijs non recedunt. Nec quispiam sibi sapere præsumat, allegando Domini Nostri IESV Christi præsentiam in nuptijs, in convivijs Pharisæorum. Intolerabilis est enim præsumptio, velle se comparare DEO, homini, cujus præsentia salvifica & benefica in similibus comparuit actibus; sanctificabat mensas & conversationes ille, qui trahebat omnia post se. Nunc verò supposita fragilitate nostra & malitia sæculi, nefas est tantum præsumere. Hac tamen Constitutione Nostra, non prætendimus arcere Sacerdotes à privatis & sobrijs mensis Patronorum Ecclesiæ, & aliorum piorum hominum, qui Sacerdotem invitant, vt benedicat Domui suæ, vel consoletur afflictum, visitet infirmum; tunc temporis enim ad

priva-

privatam mensam esse poterit Sacerdos memor vocationis suæ. In funeribus verò Magnatum & Insigniorum, Sacerdotes DEI ad seorsivam mensam simul, non mixti sæcularibus accumbent, abstinebunt à nimietate potûs, quem infinita seqvuntur scandala. Quod si secùs factum fuerit ab aliquo discolo Sacerdote, deferatur ad Decanum pro correctione salutifera. Reflectant se super Canone Concilij Nannetensis, & videant quomodo in ejusmodi occasionibus se gerere debeant. *Nullus Presbyterorum, quando ad anniversarium diem, trigesimum, vel septimum, vel tertium alicujus defuncti, aut quâcunq; vocatione ad collectam Presbyteri convenerit, se inebriare ullatenus præsumat: nec precatus in amore Sanctorum, vel alicujus animæ bibere, vel alios ad bibendum cogere, vel se alienâ precatione ingurgitare, nec plausus & risus inconditos, & fabulas inanes ibi referre, aut cantare præsumat, vel turpia joca, vel urso, vel tornatricibus ante se fieri patiatur; nec larvas dæmonum ante se ferri consentiat, quia hoc diabolicum est, & à Sacris Canonibus prohibitum. Si enim Laicis comessationes damnabiles sunt, multò magis Sacerdotibus imputantur ad gehennam. Venter enim pinguis, vt ait S. Hieronymus, crassum sensum generat; cùm Sacerdotalis sensus contra vigil esse debeat, & tenuis, atq; ideò ebrietatis vitio obnoxij, in Sacerdotes ungi non debent. Hi enim (vt ait Gregorius in Moralibus) qui adhuc vitiorum bello subjacent, nequaquam per prædicationis vsum præesse Magisterio cæterorum debent.* Item inhibemus præsenti Constitutione, né Sacerdotes juxta Canones Sacros, qui sunt prædicatores castitatis, fiant paranymphi, nuptiarum conciliatores; nevé hoc prætextu creberrimi fiant sæcularium domorum visitatores, gynæceorum frequentatores, nevé fiant nuptiales Oratores, in talibus enim plerumq; orationibus falsas divinitates deprædicant, metamorphosibus Ovidianis, & fabulosis Ethnicorum dogmatibus profanant ora Sacerdotum, quæ verbo DEI sunt consecrata, & sunt Sancti Spiritûs instrumenta. Tum quòd hæ sunt sæculi occupationes, quæ prostituunt Statûs Spiritualis dignitatem, sub pœna decem marcarum pro prima vice, pro secunda, suspensionis à Divinis. Decernimus item, vt quicunq; Presbyteratûs acceperit characterem, non ampliùs liceat illi agere pædagogum; serviat Altari Divino, cui alligatus est. Experiendo enim didicimus, quòd multi varijs inventionibus

De Consecratione. dist. 5.

Dist. 44. c. vltimo.

Concil. Laod. c. 41.

ſe curent promoveri ad Presbyteratûs Ordinem, mox altaria deſerant, pædagogias aucupentur, & poſtpoſitâ dignitate Sacerdotali, aut inter famulorum greges pediſequi indecorè vagentur, aut intra ſepta Gynæceorum aſſidui promotiones ad Beneficia expectent, tanquam illa ſine labe Simoniaca his medijs acquiri poſſint. Exnunc autem pædagogos omnes ſub pœna ſuſpenſionis ad altaria & beneficia, ad quæ ſunt ordinati, reverti volumus, ſolumque minoribus in Ordinibus exiſtenti licebit poſt hac in Diœceſi Noſtra pædagogari.

De Ordinandis.

CVM verò quàm plurimi currant ad Eccleſiaſticum Statum, non tàm propter IESVM, quàm propter eſum, vel tædio laborioſæ, aut ærumnoſæ in ſæculo vitæ, multi diſſipato patrimonio ad panem Chriſti aſpirant, vt ingluviem ſuam contineant. Multi exactæ ætatis in ſæculo reliquias Sacerdotio conſecrari nituntur, non DEO vocante, ſed ita penuriâ rerum, vel aliquo reſpectu ſuadente. Propterea ſtatuimus juxta Decreta Sacroſancti Tridentini, ex monito Apoſtolico, ut nemini manus citò imponamus. Sed quicunq; ad Eccleſiaſticum Statum aſpirabit, ſumet primò conſilium à Confeſſario ſuo, poſtea vt videat, an ex DEO ſit cogitatio ſua, ad Nos, vel Vicarium Noſtrum recurret, & motiva intentionis ſuæ exponet; quæ ſi probaverimus, vel Reverendiſſimi Noſtri Officiales Generales, revertetur ad Parochum Domicilij ſui, qui tribus diebus Dominicis ex ambona promulgabit talem & talem N. N. Sacris Ordinibus cupere initiari, legetq; populo, vt ſciat, quæ ſunt impedimenta ad Sacros Ordines accedenti: quatenus quilibet ſciens de impedimento, ſub conſcientia valeat deferre illi Parocho illud impedimentum. Quòd ſi nullum repertum fuerit, dabit Parochus teſtimonium Loci Ordinario, vel illius Vicario Generali, cui ſubeſt. Tum demùm inſcribetur in Regeſtrum Ordinandorum ad Minores ſalvis intervalis: Ad majores verò, probabit ſcientiam ſufficientem, exercitium in Spiritualibus; neq; priùs ad Ordinem Presbyteratûs promovebitur, niſi exercitia Spiritualia in Ducatu Maſoviæ

Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 5. de Refor.

apud

apud Reverendos Missionarios, RR. PP. Societatis Iesu, vel RR.PP.Scholarum Piarum, vel in Seminarijs, Varsaviēsi, aut Gorensi. In Majori verò Polonia, vel in Seminario Posnaniensi, vel apud RR. PP. Philippi Nerij, vel apud alios Religiosos cum testimonio de profectu peregerit.

De Lectione Sacræ Scripturæ.

EXperiendo didicimus, in plerisq; Diœcesis Nostræ Sacerdotibus Prebyteris, præsertim verò in Archidiaconatu Varsaviensi Sacram & Sacerdotalem illam flammam scientiam Sanctorum, defectu pabuli sui extinctam, eò quòd Sanctos piosq; lectionis cibos fastidimus. Ad Tacitos, Lucanos, Terentios, Plautos, sine rubore Sacerdotes DEI, & ad doctas fabulas convertimur. Experientiâ discimus veritatem S. Hieronymi: Sacerdotes DEI omissis Evangelijs & Prophetijs, comædias legere, amatoria Bucolicorum versuum verba canere, Virgilium tenere. Id, quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis. Ideò statuimus vt Clerus Noster Sacris cum vestibus statim contendat inducere hanc Sanctorum scientiam, quæ non invenitur in sublimibus humanæ sapientiæ, sed in Sacrorum librorum lectione; maximè verò in quatuor Sanctis Evangelijs, Actis Apostolorum, Epistolis Divi Pauli, Petri, Jacobi, & Joannis. Item in lectionibus Prophetarum. Quæ omnia attentè & frequenter lectitata Spiritum DEI faciunt assumere, & in novos homines transformare. Vt enim conversatio hominis, ita lectio librorum transformat legentis indolem. Huic lectioni volumus, vt adjungantur libri Catechistici & Controversistici. Cùm enim in hac Diœcesi habemus alias oves, quæ non dum sunt in hoc Ovili; debemus illas placidè instruere. Quomodò autem instruemus, si primò non instruamur? Quapropter Librum à Nobis Polonico Idiomate conscriptum pro Diœcesi Luceoriensi in gratiam præsentis Diœcesis recudi faciemus, qui serviet prædictæ Intentioni Nostræ. Tum libellum Controversisticum Patris Vittenfeldij Societatis IESU, alium Patris Hacki, & P. Tylkowski recommendamus pro claritate veritatis, & brevitate styli. Vt autem

Sacræ

Sacræ huic Lectioni vacet Clerus Diœcesis Nostræ seriò injungimus, Dominis primò Archidiaconis, postea Decanis; vt in Visitationibus & Congregationibus Decanalibus inquirant, quâ lectione quisq; Sacerdos occupetur, & quem profectum in illa faciat: Quod & Reverendissimi Officiales Generales, quoties dabitur occasio, facere non gravabuntur; vt quoties Sacerdos accesserit Consistoria Nostra etiam in alia causa; tamen interrogandus erit de lectione sacra, quam si frequentat, collaudetur; vel si secùs, confundatur. Si enim primis in Ecclesia sæculis, nec monstrare viam eunti, eadē nisi sacra colenti licuit, nec conversari, nec hospitalitatem exhibere, nisi se profiteretur Christianum. Cur nos id ipsum non faciamus in omni cum Sacerdotibus congressu. Non enim vestis Sacerdotem, sed character scientiæ Sanctorum innixus facit.

De Mutua in Clero Charitate.

CVM Charitas sit Virtutum Theologicarum maxima fidei nostræ anima, fons bonorum operum, cùm sit ipse DEVS Charitas, cùm Fides & Spes evacuabuntur, Charitas etiam in cœlo nobiscum sit regnatura. Ideò hanc virtutem, potiùs virtutum omnium Matrem colamus Sacerdotes DEI. Hîc lucifer oriatur in cordibus nostris, & cum sole non occidat. Cumq;
Joan. 21. Petro Apostolorum Principi non nisi post ternam Professionem dilectionis datæ sint claves Regni cœlorum. Quomodo præsumemus habere Nos participationem earundem Clavium, nisi habeamus partem & dilectionis? Sit ergò in Nobis Charitas non ficta, quæ non æmulatur, non agit perperam, sint procul à nobis rixæ. Nec litis horror insonet in auribus Spiritualium. Exhibeamus Nobis adinvicem debitum honorem, vt imagines DEI, vt Corporis Dominici membra, vt Comministri Misteriorū DEI, non æmulemur ad invicem, vnus hoc, alius aliud donum
1. Cor. 12. habet. *Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ?* Distribuit Deus munera sua, distribuit talēta, vnicuiq; dedit juxta mensurā. Ergò super Charitatis fundamēto ædificem⁹ ædificij nostri parietes, & cōsummabim⁹ ædificiū. Doctorē Gentiū non mors, non al-
Rom. 8. titudo, non profundū, non principatus, non potestates, poterant separare à Charitate DEI. Quomodo nos separabit ambitio mū-

dana

dana fumorum, ventorum aucupijs inhians, vt per calcatas Cõfratrum cervices, per detractiones, per accusationes fratrum ascendere cogitemus? Quomodo superbia, flatus citò transiens, excessu amoris proprij genita separabit nos à Charitate, vt contemptu cæteros tractemus vilipendio & improperijs Consacerdotes proscindamus? Quomodo habendi cupiditas, quæ non retentura tàm avidè congerit, vt cum crepicordio mox dimittat, separabit nos à charitate? vt vera membra Christi inedia confici, frigore enecari, penuria mortificari passim videamus, & non succurramus? Quomodo Nos separabit vanitas, & hæc, quæ pertransit figura hujus mundi, à charitate veri & duraturi boni? Decernimus autem præsenti Synodo, vt Sacerdotes rixosi, inquieti, litium amantes, ambitiosi, immisericordes, notentur à DD. Decanis: Nobis Nostrisq; Consistorijs deferantur corrigendi Pastorali Nostrâ diligentiâ in Charitate. Reassumimusq; Sacrorum Canonum rigorem in eos, qui cùm sint ipsi Spirituales, Consacerdotẽ suum ad sæcularia contra doctrinã Doctoris Gentium, evocant, & se sæculari subijciunt Judicio.

Conc. Milev. & Concil. Carth. III. c. 3. 11. q. 1. c. Inolita præsũptio. & Placuit, ut quisquis Episcoporum.

De Humilitate necessaria Clero.

STatuimus & hortamur, vt memores Capitis Sacerdotalis Domini Nostri IESV Christi, qui cùm in forma DEI esset, humiliavit semetipsum; Exerceamus nos in hac virtute verè Christiana, quæ fundamentum & basis est omnium virtutum. Humiliemur sub potenti manu DEI. Exaltavit nos ille per gratiam vocationis Sacerdotalis; sed non abutamur gratiâ ejus. Eò magis humiliemur inter homines, quò magis cognoscimus nihil nos habere, nisi hoc quod accepimus à Domino. Non ergò gloriemur quasi de proprio, scientes DEVM superbis resistere, scientes, quòd pulvis & vmbra sumus. Memores cujus Capitis membra sumus, illius scilicet, qui cùm DEVS Homo esset, vermis & non homo appellari voluit, vt sequamur vestigia ejus. Discant à nobis humilitatem Christianã ij, qui foris sunt. Discant patientiam ij, qui impetibus aguntur. Discant modestiam ij, quorum actiones vanitate sæculi turgent. Et tunc demùm nos credamus in palæstra pietatis profecisse, cùm

Phil. 2.

Psal. 21.

1.Cor.4. dicere poterimus cum Doctore Gentium. *Nos stulti propter Christum, vos prudentes: nos infirmi, vos fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles: Maledicimur, & benedicimus: Persecutionem patimur, & sustinemus: Rogo ergò vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Confundatur ergò Sacerdos, geneses suas & stemmata recensens, oblitus oraculi Divini: quòd non ex sanguinibus, neque
Ioan. 1. ex voluntate carnis, sed DEO nascimur Spirituales. Confun-
Matt. 23. datur primos accubitus cum Scribis & Pharisæis fimbrijs dilatatis cupiens, primas salutationes exigens. Confundatur in jactantia sua, in præsumptione: quasi esset, non sicut cæteri. Confundatur in multitudine famulorum, equorum, splendore vestium ille, cujus professio est vitam Christi Pauperis, humilis & patientis, ab omnibus derelicti repræsentare.

De vitanda Ebrietate & Ingluvie.

1. Pet. 5. PRinceps Apostolorum, quotidie ad nos loquitur: *Fratres sobrij estote*: Ebrietas est rationis, quâ à brutis recedimus,
Conc Agat dist. 35. c. Ante omnia Cler. vitetur ebrietas. & 15. q. 1. Sanè discimus vitãdam ebrietatem. ad DEVM appropinquamus, naufragium. Ebrietas est sæcularis honestatis turpitudo; nonne erit Sacerdotalis vocationis opprobrium & detestatio? Ebrietas omnium scelerum mater, patens ad omne nefas janua; omnis sensualitatis, animalitatis, vindictæ, iræ excitamentum. Audiamus Sapientiam dicentẽ: *Cujus Patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonnè his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Nè intuearis vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut*
Prov. 23. *coluber, & sicut regulus venena effundet.* Hac ex causa Sacerdotibus ab omni ebrietate abstinere toties Vniversalia Concilia
dist. 35. c. Episcopus. & cap. Ante omnia. imperãrũt. Imò etiam eos Anathematis seu depositionis fulmine tangi voluerunt, quicunq; Episcopus vel Presbyter præsumpserit cogere ad evacuandos calices. Ergò Fratres Charissimi declinemus ab hac voragine Sacerdotalis Vocationis. Declinemus ab his scopulis, ad quos allisæ tot periêre rates. Declinemus, si non virtutis amore, saltim formidine pœnæ, quæ antecedẽtem scelestum, non deseret; vbi quispiam Sacerdotum hujus vitij notatus fuerit, eum capacem aliorum plurimorum scele-

scelerum, & Nos, & Consistoria Nostra existimabunt inhabilem ad curã animarum, quibus exemplo & sobrietate præesse debet, eum incontinentem non vanè suspicabimur Legis Divinæ contemptorem. Maximè verò, si monitus, vitam in melius corrigere noluerit, talis, vt contumax, pœnis semper gravioribus mulctabitur; & Officio, si quod gerit, tandem privabitur, Exequentes Canonem Concilij Lateranensis sub INNOCENTIO III. celebrati: *A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant:* Lib. III. *vndè vinum sibi temperent, & se vino: Nec ad bibendum quispiam in-* Decret. *citetur; cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet* de vita & *incentivum. Vndè illum abusum penitùs decernimus abolendum, quo in* honest. *quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores: &* Cler. *ille judicio talium plùs laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à Superiore commonitus satis fecerit, ab officio vel beneficio suspendatur.* Præsertim verò inhibemus Vniversis & Singulis cremati horis matutinis potationem; nam cùm creber illius vsus acrimoniâ sua exedat viscera, volatilitate calorem naturalem auferat; odor ipse Sacerdotalem honestatem dedecet, totâ die naufragam rationem denunciat, cúm omni hora Sacerdos teneatur esse capax ad succurrendum seu infirmis, seu afflictis. Excusationes in peccatis sunt frequentes; sed in potatione cremati sunt frequentissimæ, illæq; frivolæ, quasi biberetur sanitatis causâ. Quis etiam optimis medicamentis non vtatur parcissimè & rarissimè? & quo die illis vtitur, separatus à conversatione quiescit, mente non turbata. Secùs fit cum cremati potatoribus, qui tùm maximè exeunt in publicum, cùm latere deberent, né peccatum suum scandalo publico auctum velint. Horum vultus luridus & hypocraticus, odor abominabilis, non potest esse, nisi vitiosi corporis & læsæ mentis index. Iterùm itaq; dicimus: *Fratres sobrij estote*; vt honestatem Sacerdotalem conservetis, vt mores vestri sint irreprehensibiles coram hominibus, vt non scandalizentur parvuli, de quibus rigidissimam DEO Judici dabitis rationem. Hæreant nobis S. Pauli monita, qui semper sobrietatem cum Castitate, cum continentia, cum pudicitia conjungit: ad Timotheum, & ad Titum: Vnum enim sine alio esse non potest. Concilium Mathisconense omninm

 vitio-

vitiorum fomitem & nutricem. Et Propheta clamat sine dubio
Isa. 5. contra cremati potatores: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem.*
Prov. 23. S. Spiritus monet in Proverbijs: *Noli esse in convivijs potatorum, nec in commessationibus eorum.* O si observaremus mandata Apo-
1. Cor. 5. stoli! *Si is, qui frater nominatur inter vos, ebriosus est, cum ejuscemodi nec commisceri, nec cibum sumere.* Audite Prophetam clamantem:
Ioel. 1. *Expergiscimini ebrij & flete; & ululate omnes, qui bibitis vinum.*
Isa. 5. Eccè quis finis ebrietatis? *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum.* Res autem plena abominationis & scandali esset, si Parochi in tabernis, quasi prostibula aliqua cum grege porcorum promiscuè compotarent, aut choreas ducerent, cùm juxta Concilium Carthaginense III. c. 27. clerici ab omni frequentatione tabernarum prohibeantur: *Clerici edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.* Et in Concilio Laodicensi c. 24. *Non oportet Clericos servientes à Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps Ordinis Ecclesiastici, omnes usque ad Ministros, aut Lectores, aut Exorcistas, aut Ostiarios, aut Psalmistas, aut etiam eos, qui in proposito continentur sunt, tabernas intrare.*

dist. 44. *dist. 44.*

De Polygamia Spirituali.

PLuralitatem Beneficiorum, maximè verò Cathedralium, tùm insignium Collegiatarum & Curatarum damnavit semper damnatq; S. Ecclesia Canone: *Quia in tantùm quorumdam processit ambitio;* ideoq; pœnis privationis ipso facto ejusmodi Sacerdotes subijcit. Cùm enim intentione sanctâ piâq; privantur Fundatores, dùm Ecclesiæ deseruntur à Rectoribus; cura animarum non à Pastoribus, sed à mercenarijs administratur, summo salutis æternæ discrimine. Ideò & Nos Sacris Canonibus & Mandatis Pontificijs obsequentes, toties requisiuimus tàm majorem, quàm minorem Clerum Diœcesis Nostræ; vt ad S. Sedem recurrant pro dispensatione, quæ non solet dari, nisi benè perspectâ necessitate rei, melioris conditionis Ecclesiæ. Quem ad finem, cùm jam non vnum trimestre concessimus, tandem necessariò duximus, ampliùs nolle conscientiam Nostam gravare; maximè cùm super hoc speciali mandato fel: record: INNOCENTII XI. requisiti fuerimus, declarantes.

Conc. Lateranen. Concil. Trid. sess. 7. c. 2. de Ref. Nemo. & sess. 24. c. 17. de Ref. Cùm Ecclesiastic⁹ Ordo.

rantes jam illa Beneficia vacare, quæ de lege incompatibilia, sine dispensatione S. Sedis elapso præfixo tempore, possidentur. Certum quidem est, tàm minora, quàm majora in Regno Nostro Beneficia mirum in modum attenuata tam calamitate temporum, quàm frigescente charitate & pietate in solvendis censibus, decimis, & alijs proventibus Ecclesiasticis. Attamen cùm videamus etiam in Clero crescere luxum vestium, equorum, opiparatum mensarum, pretiosorum liquorum; meritò hæc omnia Nos pati non diffitemur. Modestis, sobrijs, pijs Sacerdotibus fideles omnia dabant; luxu, auaritiâ nimiâ consangvineorum curâ laborantibus, non item. Experimento habemus quotidiano, cùm videamus illa Religiosorum Monasteria, quæ rigorem Institutorum suorum tenent, mirum in modum pietate, liberalitate fidelium in dies cumulari, E contra verò in comperto habemus, quòd moderni Ecclesiarum Fundatores, quodammodo abhorreánt à Parochialibus fundandis, vel meliorandis Ecclesijs, odio vitæ nostræ per omnia sæcularis. Videamus ergò, quantam cõtumeliã facim⁹ Primo in Ecclesia DEI & meritissimò de Orbe Vniverso Ordini Nostro.

Conc. Trid. sess. 24. c. 18. de Refor.

De Scientia Sacerdotali.

CVM Sacris Evangelijs cavetur, nè cæcus cæco ducatum præstans, ambò in foveam cadant. Et juxta Prophetam DEVS ipse fatetur: *Propterea ductus est captivus populus meus, quia non habuit scientiam.* Si Christus Dominus nos appellaverit lucem mundi; quomodo ignorantiæ tenebræ erunt in nobis? Si sumus sal terræ, vt à corruptione peccati præservemus populum DEI; quomodo præstabimus, nisi sit in nobis sal sapientiæ Divinæ, non humanæ? Quare miramur eorum temeritatem, qui vix Classes Grammaticales egressi, vel Pòëticam gustârunt, Rhetoricam attigerunt, aut aliquid ex Philosophia delibârunt; illicò Nobis sunt toties molesti, ordinari à Nobis desiderantes. Cùm hæ omnes sæculares scientiæ, nihil omninò commune habent cum scientia Sanctorum, cum administratione Sacramentorum; cùm hæ scientiæ, sint stultitiæ coram DEO; in vanitate enim sensus ambulant, qui scientijs sæcularibus

Matt. 15. Isai. 5. Matt. 5.

ribus tantùm intendunt. vt habetur dist: 37. c. *Nonne*. Et Concilium Toletanum disertè asserat ignorantiam Spiritualem esse matrem cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus DEI, vitandam, qui docendi officium in populis susceperunt. Ideò statuimus neminem ad Majores Ordines admittendum, nisi ad minimum Morali Theologiæ, Tractatui de Fide, de Sacramentis & Justitia vnum & alterum annum fructuosè impenderit. Neq; licebit in spem futuræ scientiæ, quam plerúmq; promittunt, & non præstant quemquam Ordinari. Ad Minores veró Ordines, nisi Catechismum Patris Canisij optimè calluerit.

De Vsu & Administratione Bonorum Ecclesiæ.

CVM Bona Ecclesiastica nihil aliud sint, quàm Christi patrimonium, pretia peccatorum, stipendia Altaribus DEI & animabus servientium. Nosq; horum bonorum non esse Dominos, sed fideles Administratores cum obligatione reddendæ rationis in districto DEI Judicio: prout id primævæ fundationes, OEcumenicorum Conciliorum Decreta sole meridiano clarioribus evincunt documentis. Ideoq; Ecclesiarum reditus, trifariam Sacri diviserunt Canones. Prima Portio pro honesta eaq; necessaria Beneficiarij sustentatione. Secunda, pro fabrica Ecclesiæ. Tertia pro pauperibus. Non sat vberrimis lachrymis deflenda est temporum nostrorum ratio, quòd & plura appetamus beneficia, & omnes proventus nobis ipsis ita applicamus; vt fabricæ Ecclesiarum semirutæ hiatibus suis, contra duritiam cordis nostri clament. Viva DEI templa Pauperes, fame & inediâ quotidiè pereunt, cùm nos victu & amictu diffluamus. Coacervamus â malè educatis dissipanda nepotibus. Per testamēta absolutè de rebus Ecclesiæ in favorē cosangvineorū disponimus; Patrimonium Christi ingēti pauperū cum dolore dissipam⁹. Ideò præsenti Synodo tàm Nos, quàm totum Diœcesis Nostræ Clerū obligamus ad Canonicā provētuum Ecclesiasticorū administrationē. Quod tantò alacriùs faciemus, quantò verior est Antistitis non ita pridē Poloni observatio illas familias,

10.q.1.c. *Decreuim⁹* &10.q.3.c. *Vnio Nostræ* &12.q.2.c. *De reditibus*

familias, quæ Ecclesiasticis bonis saginari videbātur, intra breve temporis spatium dissipatas, nec ad tertium hæredem transisse opes, cum injuria pauperum Christi elargitas consangvineis; qui primum tantùm locum inter pauperes habere possunt, ditari non possunt. Audiat vnusquisq; nostrûm mellifluum Bernardum loquentem hac de re: *Væ tibi Clerice, mors in olla, mors in tuis delicijs est.* Audiamus & Augustinum: *Si privatim possidemus, quod nobis sufficiat, cætera non nostra sunt, sed pauperum: quorum procurationem tantùm dum gerimus, proprietatem nobis damnabili vsurpatione vindicamus.* Vndè statuimus, & conscientias obligamus vigore Sacrorum Canonum; Vt quisq; Beneficiarius, in quo etiam Nos ipsos non dispensamus, habeat curam pro possibili fabricæ Ecclesiæ & Domûs: tùm & pauperum. Qua de re Nos informabunt DD. Archidiaconi & Decani. Item, quòd circa Testamentorum approbationes, habebitur eadem ratio tàm fabricæ Ecclesiæ, quàm domorum. Statuimus quoq; vt quilibet Beneficiarius Beneficij sui inventarium conscribat pro loco relinquendum. Quod & Nos in Episcopatu Nostro DEO adjuvante facturi sumus cum obligatione in Successores; vt in Missæ Sacrificijs memores sint liberalis pietatis Antecessorum. Tali etenim ratione, & Sacros observabimus ex conscientia Canones, & sæculares personæ excitabuntur, ad pares pro gloria DEI actiones.

De Infirmis Parochis & Sacerdotibus.

SI quem Sacerdotem aut Parochum non leviter infirmari contigerit, eundē in virtute S. Obedientiæ obligamus, vt id curet notificari viciniori Parocho, tandem & Decano; qui sine mora visitabunt infirmum, curam illius agent, animæ corporiq; subvenient, de facienda dispositione tàm circa animam, quàm circa corpus monebunt infirmum: cavebuntq; nè per famulitium, aut per Consanguineos diripiantur bona. Præmonebunt Sæculares, ipsos pænas Excommunicationis ipso facto incursuros, si quid attrectaverint, sub pœnis gravioribus in negligentes tàm vicinos Parochos quàm Decanos. Sonet in auribus Nostris hoc in puncto divinum per Ezechielem Oraculum.

Quod infirmum fuit, non consolidâstis; Quod ægrotum, non sanâstis; quod confractum, non alligâstis. Et aliud: non te pigeat visitare infirmum; ex hoc enim in dilectione fiirmaberis.

De Annua Recollectione.

CVM Spirituales vocemur & simus; necessum est, vt continuâ in sæculo conversatione Ecclesiasticus Spiritus sensim dissipetur evaporetq; non aliter, quàm volatiles illi Spiritus in phiala malè obturatâ relicti. Vndè ipsius Salvatoris exemplo docemur, debere nos secedere recollectionis causâ in desertum., vbi desertis omnibus negotijs DEI Sacerdos sibi ipsi restituitur sistitq; se solus coram Judice suo DEO. Anteacta sua perpendit, cernit defectus, quos corrigat. Colligit quodammodò Spiritus dissipatos, & tanquam novus Phœnix renascitur. Indè est, quòd desertum semper tàm fuerit fœcundum; vt non solùm in veteri olim testamento, arcanorum DEI conscios produxerit Prophetas: sed etiam sub Nova Lege majora Ecclesiæ DEI luminaria Chrysostomos, Augustinos, Basilios, Gregorios Thaumaturgos & Nanzianzenos, Hieronymos orbi Christiano genuerit. Decernimus itaq; vtpotè rem apprimè necessariam, & vocationi nostræ conformem, quatenus RR. Parochi, captato quisq; opportuno tempore denuncient illud Decano suo; substitutoq; ad Ecclesiam Sacerdote probato ad minimùm pro sex diebus faciant recollectiones sub directione Patris Spiritualis singulis annis. In Ducatu Masoviæ apud RR. PP, Societatis JESV, vel Missionarios, vel PP. Scholarum Piarum. In Majori Polonia, in aliquo Religiosorum Monasterio; ita vt in recollectione illa, tanquam in speculo contempletur vocationis suæ vultum, seq; examinet, exempli causâ: an semper habitum Ecclesiasticum decenter detulerit? simul & tonsuram modestam? an superfluitates & luxus vitaverit in vestimentis & mobilibus? an declinaverit societates suspectas, convivia, negotia sæcularia, & alias occasiones periculosas? an consortium declinaverit alterius sexûs quibuscunq; sub prætextibus? an se non sociaverit scandalosis Sacerdotibus? an se abstinuerit à lusu alearum, scachorum, chartarum? an catechisaverit

verit frequenter fideles? an residentiam debitam non omiserit sine licentia Superiorum? an Eleemosynam dederit? an litigiosus non fuerit? an incompatibilia beneficia non tenuerit cum obligatione restitutionis fructuum nulliter perceptorum? an scandala non dederit? an sobrietatem cum castitate servaverit? Hæc erunt materiæ plerumq; in Recollectione annua: vbi expiatis præteritorum temporum noxis, valeat dicere: Nunc cœpi esse vir Ecclesiasticus, Sacerdos DEI exemplaris. Qua in re obligamus seriò RR. Decanos Rurales, vt ipsi idem facientes, deferant eos, qui huic Ordinationi Nostræ & primario Christi exemplo, & SS. Patrum obedire noluerint, sub pœna decem marcarum prima vice, postea & gravioribus.

De Regularibus.

QVoniam in omnibus partibus orbis Christiani S. Concilij Tridentini Sancita vigere cognoscimus; non possumus & Nos Diœcesim Nostram ad observantiam eorundem non accommodare. Propterea omnes Præpositi, Priores, Custodes, Gvardiani, Vicarij, ac vniversi Relogiosi, etiam Mendicantes noverint se ad observantiam non modò eorum, quæ in S. Concilio Tridentino continentur; verùm & eorum, quæ Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium decrevit, esse obligatos. Nos verò pro munere Nobis imposito, ut tenemur, in ovili Domini, sine quavis derogatione ac diminutione immunitatum & exemptionum Religionibus concessarum, in omnibus quæcunq; curæ & Administrationi Nostræ S. Concilium Tridentinum, & Sacra Eminentissimorum Congregatio Cardinalium imposuit, procedemus & ordinabimus. Et imprimis: meminerint sibi cavendum esse, né libros de rebus Sacris, sine Authoris nomine impressos penes se aliquis eorum retineat, nisi priùs examinati probatiq; à Nobis fuerint, vltraq; Nostram approbationem, suorum quoq; Superiorum licentiam impetrauerint. In Ecclesijs sui quidem Ordinis, priusquam de vita & moribus scientiaq; à suis Superioribus examinentur & approbentur, Nostram benedictionem petant, & obtineant; alijs verò quæ sui Ordinis non sunt, vltra licentiam suorum Superio-

Conc. Trid. sess. 4.

C 2 perio-

periorum, nisi Nostram etiam consequantur, ne aliquo modo
Côc. Trid. sess. 5. de Refor. c. 2. prædicare præsumant. Quod si quos errores, aut scandala prædicando seminaverint in populo, sciant sibi tàm in suo monasterio, quàm alieno, prædicationem à Nobis interdicendam fore. Missæ quoq; Sacrificium in privatis domibus atq; omninò extra Ecclesias, aut Oratoria Divino cultui dedicata, â Nobisq; designanda & visitanda, non celebrent. Qui extra Claustra & obedientiam suarum Religionum vixerint prætextu Privilegij in Civitate & Diœcesi Nostra, né prædicent. Quòd si quis talium deliquerit, tutus non censeatur esse, quò minùs à Nobis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, secundùm Canonicas Sanctiones puniri & corrigi possit. Illi autem qui degentes quidem intra Claustra, sed extra ea notoriè deliquerint, scandalumq; populo fideli fecerint, nisi à suo Superiore infra tempus â Nobis præfigendum, severè puniantur, à Nobis condignas pœnas accipient. A suo etiam Conventu recedere nullus præsumat, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi absque mandato in Scriptis obtento: aliàs tanquam Religionis desertor, Nostris pœnis subjacebit. Idem quoq; extra Monasteria degentes, quomodolibet exempti, etiamsi certum Iudicem à Sede Apostolica deputatum in partibus habeant; in civilibus causis mercedum & miserabilium personarum coram Nobis, tanquam in hoc à Sede Apostolica Delegatis conveniri, atq; ad solvendum debitum cogi poterunt & compelli. In Monasterijs noviter erigendis is numerus personarum constituatur in posterumq; conservetur, qui vel ex reditibus proprijs Monasteriorum, vel ex Eleemosynis commodè possit sustentari. Censuras & interdicta à Nobis promulgata in suis Ecclesijs publicare & servare, dies quoq; festos à Nobis indictos celebrare debent. Si quæ controversiæ de præcedentia in Processionibus ortæ fuerint, eorum compositionem ex Nostra Authoritate acceptabunt; ad eas autem vocati accedere tenebuntur, ijs tantum exceptis, qui in strictiori Clausura perpetuò vivunt, vel ex sui instituti ratione ad eas non tenentur. Quartam funeralium juxta S. Concilij Tridentini dispositionem Ecclesijs Parochialibus solvant. Ad levanda cadavera defunctorum cum cruce in Parochiam, sine scitu Parochi non descendant,

dant, vti declaravit Leo X. in Concilio Generali Lateranensi, super quo extat quoq; declaratio S. Congregationis Cardinalium super negotijs Episcoporum & Regularium de actu 12. Januarij Anno 1603. Alios deniq; SS. Canones Decretaq; S. Concilij Tridentini Regularium reformationem continentia, ijdem Religiosi Diœcesis Nostræ, tanquam optimas summopereq; necessarias Instituti sui Regulas, eâ, quâ par est diligentiâ volvant revolvantq;, nè ignorantiæ errore locus relinquatur.

De Sanctimonialibus Diœcesis Nostræ.

CUM à quadraginta & octo annis, ex quo Synodus Posnaniensis non fuit celebrata, tàm per calamitatem temporum, quàm per fragilitatem humanam, multos notavimus defectus circa Sanctimonialium tàm Exemptarum, quàm non Exemptarum Monasteria; Ideò non Exemptis Ordinariâ, Exemptis Delegatâ à S. Concilio Tridentino Authoritate ordinamus. Et primò vigore Concilij Lateranensis vltimi: Cùm multæ Religiosæ Superiores prætextu necessitatis labem Simoniacam committunt, dùm ab omnibus Monasterium intrantibus Virginibus, certum quantum pecuniæ exigant nomine dotis. Ideò quod jam in pluribus Monasterijs fecimus, in omnibus Diœcesis Nostræ hoc ex Concilio Tridentino observari volumus, sub pœnis Simoniacæ labis; vt præfixum numerum in fundatione Virginum Religiosarum, quodlibet Monasterium habeat certum. De hoc numero certo & præfixo, seu per fundationem, seu per Decretum Episcopale, vbi Monialis vna vel altera moriatur, in ejus locum debet recipi Virgo sine vllo pacto dotis, quocunq; prætextu. Liberum tamen erit illi, dare aliquam Eleemosynam Monasterio, si habuerit & voluerit. Quæ autem Superior secùs fecerit, exegeritq; pecuniam aliquam vel inscriptionem; in eo casu sciat se gravissima Simoniæ labe contaminatam. Vltra hunc numerum, quæ admittentur ad Religionem Virgines: tales debent secum portare dotem, de cujus censu victum & amictum habere valeant, quò ad vixerint. Licitumq; eis erit ante Professionem memoratam dotem suam Religioni dare & donare Monasterio suo sive totam sive per medi-

1 q. 2. c. Quam pio mentis affectu. & declar: S. Congr. apud Ovar: pag. 268. n. 6.

medium, aut etiam disponere de illa, prout placuerit in favorem consanguineorũ. E contrà non licebit hanc dotem, quamdiu Virgo supernumeraria vivit, in fabricam Ecclesiæ, vel in communes vsus convertere, ex ordinatione Bullarum Pontificiarum. Secundum errorem gravissimè deprehendimus in Monasterijs Sanctimonialium in Diœcesi Nostra, quòd multæ earũ non crederent se ad strictam Clausuræ observantiam teneri, vt reliquæ; existimantes, quòd pro differentia Institutorum modò strictiùs, modò laxiùs tenerentur observare Clausuram. Vndè ad notitiam omnium deferimus à PIO V. Pontifice Maximo perpetuam esse declaratam Monialium omnium Clausuram, & per Sacram Episcoporum Congregationem sub voto obedientiæ contineri. Hujusq; clausuræ inspectionem & procurationem per Concilium Tridentinum vniversaliter esse commissam etiam in Exemptas Episcopis, cum facultate excommunicandi, coercendi, si qui, vel quæ refractariè adversus Episcopum hac in parte stare vellent; in tantum, vt præter legitimas causas in Jure expressas, & ab Episcopo approbatas non liceat Sanctimoniali egredi extra clausuram sub pœna Excommunicationis Papæ reservatæ. Declaramus proindè non esse inter causas legitimas egrediendi, ad rem OEconomicam procurandam, ad invisendos consanguineos etiam in casu mortis ad sumendam medicinam in civitatibus, neq; ad novam Fundationem sine consensu Papæ, neq; ad brevissimum tempus. Declaramus prætereà non valere licentias Generales, quæ per abusum sunt introductæ, nisi ad Confessarios, medicos & artifices. Nec Superiores Religiosi licentiam possunt dare, sine licentia Episcopi, juxta Decretũ Pij V. Qui autẽ concedũt licentiã exeũdi sine causa legitima: & ipsi concedẽtes & cõmittentes Religiosæ, & recipiẽtes tales Religiosas, prædictæ Excõmunicationi subijciũtur cum privatione Dignitatũ, Officiorum, & inhabilitate. Eadem clausura debet observari, quò ad Personas, quæ volunt ingredi Monasterium. Omnes enim licentiæ ejusmodi revocatæ sunt à PAVLO V. ita, vt nulli personæ sæculari viro vel fœminæ liceat ingredi Monasterium, etiam Fundatricibus, conversari cum eo, vel cibum sumere, sub pœna Excommunicationis Papalis. Cùm verò ex justa & legitima causa datur licentia ab Episcopis, vel ab

Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. de Regular.

Epi-

Episcopo simul & Superiore in Exemptis, etiam tùm temporis hæc licentia, tàm diù non valebit, donec Moniales facto Capitulo per Secreta suffragia consentiant juxta Declarationem VRBANI VIII. Cùm autem Serenissimus REX, Regina, Reginula & Principes Filij Regis habeant facultatem tanquàm Patroni & defensores Ecclesiarum & Monasteriorum ingrediendi Monasteria Sanctimonialium, hoc ita sanè intelligendum, quòd Serenitates & Majestates oneratam habent conscientiam coram DEO, vt nimio splendore vestium & ornatuum non perstringant mortificatos oculos Monialium, vt caveant, nè plures secum accipiant personas, quàm ipsa necessitas postulat, easq; modestas in verbo & opere, nè Spiritus ille Religiosus per tantas mortificationes, lachrymas & suspiria acquisitus per visum & auditum & per crebras portarum apertiones evaporet. Insuper Magnates vtriusq; sexus, sciant periculum facere magnum conscientiæ suæ, si comitantur Majestates ad penetralia Sanctimonialium. Nam Personis Sacris Regalibus data est ingrediendi facultas, non verò Aulæ illorum. Quod dùm ipsi quàm reverentissimè explicamus, sub vinculo S. Obedientiæ præcipimus Sanctimonialibus tàm Exemptis, quàm non Exemptis, vt ipsæ quoq; cum omni humilitate id Magnatibus repræsentent, neq; abripiantur periculosissimo complacentiæ torrente, oblitæ dignitatis suæ, quòd sint desponsatæ Regi Regum & Domino Dominantium, quòd nè Episcopo quidem sine justissima & legitima causa liceat ingredi Clausurā Religiosarum, sub pœna primò suspensionis, posteà & excommunicationis. Statuimus insuper & obligamus in Conscientia omnes Confessarios Religiosarum Virginum, vt hoc omninò quorum hîc mentionem facimus, denuntient & explicent Religiosis Virginibus; vt tandem aliquando apprehendant, in quo errore hucusq; fuerint propter neglectas Leges & ignorantiam earum, quâ forsitan excusari poterunt pro præteritis. In futurum autem nequaquam, cùm jam toties idipsum illis declaraverimus. Vt autem sciant etiam exemptas dependere à loci Ordinarijs quòad licentiam intromittendi intra septa Monasterij, subjungimus Declarat: S. Congregationis Cardinalium die & anno edita, vt infra: 43. *Facultas colloquendi cum Monialibus, & intrandi*

intra

intra Clausuram non pertinebat ad Episcopos, sed ad Superiores Ordinarios Regulares pro Monasterijs ipsorum curæ subjectis, maximè stante consuetudine observatâ à tempore immemorabili. Verum quidem est, quòd à paucis abhinc hebdomadibus est deliberatum, & ordinatum, quòd si deberent aliquando personæ sæculares alloqui Moniales, aut intrare intra Clausuram Monasteriorum subjectorum Regularibus, hoc teneantur facere cum facultate subscripta & ab Episcopis, & ab ipsis Superioribus Regularibus, in quo Ordinarius debet semper conveniri cum Superiore Regulari, antequam concedat facultatem Generalem pro personis inservientibus ordinariè Monasterio; deinde pro illis, quæ continuò solent tractare ad rotam, causâ obsequij præstandi Monialibus 1594. Nociera de Pagani 20. Decembr. 348. 44. Ordinatio supradicta intimata fuit Romæ Universis Procuratoribus Generalibus Religionum habentium Moniales in sua directione, & est tenoris sequentis: Cùm personæ sæculares fuerint meliùs notæ Prælatis Ordinarijs, quàm Religiosis cujuscunque Ordinis, propter majorem cautelam, tales &c. à Sancta Congregatione resolutum est, quòd non debeat admitti ulla persona ad colloquendum cum Monialibus, nè minimùm quidem intra Clausuram illarum in Monasterijs subjectis Regularibus, absque expressa licentia, in scriptis loci Ordinarij præter illam, quæ etiam debebit in hunc finem obtineri à Superioribus Regularibus, non obstante quacunque lege, statuto, aut consvetudine, etiam ab immemorabili tempore in contrarium Mandato facto, ut admoneam R. V. quatenus hoc denuntiet Patri Generali & omnibus Provincialibus, ut curent observari in quovis loco juxta supradictam resolutionem: quare non desinant exequi cum omni sollicitudine, & Dominus Conservet R. V. Roma 24. August. 1594. 45. Iuxta illud, quòd sub die 24. Aug: 1594. fuit præscriptum & ordinatum ut observaretur in danda licentia accedendi, & intrandi Monasteria subjecta Regularibus, quod deberet esse subscripta etiam ab Ordinario, & debet observari in Monasterijs subjectis Canonicis Regularibus Lateranen: & Fratribus S. Dominici non obstante declaratione quam dicunt se obtinuisse in contrarium à S. Congreg: Concil: quia talis resolutio non est facta merè in Virtute S. Concilij Tridentini, sed ratione boni regiminis: Cùm Episcopi possint meliùs cognoscere qualitatem personarum, & cùm opus fuerit denegare dictam licentiam, ac punire transgressores. 1597. Bonon: 26. Augusti.

CA-

CAPUT II.

De Vigilantia Pastorali.

De Residentia Parochorum.

DE Vigilantia Pastorali non Nos, sed Spiritûs S. Oraculum in Concilio Tridentino prolatum audiatur: Cùm Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbiq; divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exẽplo pascere; pauperum, aliarumq; miserabilium Personarum curam paternam gerere, & in cætera munia Pastoralia incumbere; Quæ omnia nequaquam ab ijs præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neq; assistunt; sed mercenariorum more deserunt. Sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, vt Divinorum Præceptorum memores, factiq; forma gregis in judicio & veritate pascant & regant &c. Si quis autem (quod vtinam nunquam eveniat) contra hujus Decreti dispositionem abfuerit; statuit Sacrosancta Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes, sub PAULO III. impositas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro ratha temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, &c. Quod si causa priùs per Episcopum cognita & approbata abesse contigerit, habitâ in Scriptis licentiâ ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, licentiam non obtineat. Quòd si per edictum citati etiam non personaliter contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinarijs per Censuras Ecclesiasticas & Sequestrationem & subtractionem fructuum, aliaq; Juris remedia, etiam vsq; ad privationem compellere; nec executionem hanc quolibet Privilegio, licentiâ, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscunq; beneficij, pactione, statuto, etiam juramento,

Cõc. Trid. sess. 6. c. 2. de Refor. PIVS IV. *In suprema militantis Ecclesiæ specula. & Motu proprio &c.*

vel quâcunq; authoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs coruptela censenda est, sive appellatione aut inhibitione etiam in Romana Curia vel vigore Eugenianæ Constitutionis suspendi posse. Quapropter Congregatio Concilij censuit, non licere Parochis etiam studiorum causâ abesse à Parochia. Neq; etiam excusat lis super eadem Parochia mota. Vndè Parochus habens causam justam, debet adire Episcopum, vel ejus Vicarium, jurans se gravem habere causam, per duos menses in anno potest habere licentiam. Infirmitas excusat à Residentia, vbi non sunt Medici, quo in casu, ad quatuor menses Episcopus dispensat. Excusat inimicitia gravis cum periculo mortis; sed priùs per inquisitionem hâc de re cognoscat Episcopus. Insuper statuimus, vt non liceat Parocho sine licentia Episcopi ultra quatuor dies abesse ab Ecclesia, relicto Vicario, sub pœna quinq; marcarum.

De Prædicatione Verbi DEI.

CVM primus fructus est, & obligatio vigilantiæ Pastoralis prædicare Evangelia Sacra, verbum DEI exponere, & Spirituali illo cibo pascere animas. Revocamus in memoriam Actorum 1. *Cœpit IESVS facere & docere*, vt nobis hæreat in mente illud Pauli: *Nè cùm alijs prædicamus, ipsi fiamus reprobi.* Quod S. Gregorius dilucidat dicens: *In Divinis Sermonibus priusquàm alijs eos proferas, teipsum require; nè insequens aliorum facta, te deseras.* Et alio loco: *Cujus vita despicitur, quid restat, nisi vt prædicatio contemnatur?* Quare statuimus; vt Parochi prælecto Evangelio simplices expositiones ad captum audientium, juxta sensum Ecclesiæ faciant in prima parte Concionis. In secunda verò Articulos fidei Catechisticè exponant: maximè verò de Sacramentis. Vtrobiq; brevitati studeant, ab ostentatione ingenij caveant, lucrum animarum solùm præ oculis habentes, & profectum Spiritualem. Imitentur Doctorem Gentium dicentem: *Veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ; & sermo meus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritûs Virtutis.* Quare doctas fabulas, paræmias risum moventes, sub seria animadversione in delinquentes, à Concionibus Sacris omni-

omninò excludimus. Conciones Panegyricas fieri prohibemus, nisi à solis Doctoribus & promotis in S. Theologia. Multa enim scandalosa, multa contra judicium pro ingenio, multa erronea solent in talibus Concionibus proferri; dum Sancti Dei vel cum Christo audacter comparantur, vel vnus supra cæteros ita ineptè elevatur, vt cæterorum merita videantur deprimi. Quod observari volumus non solùm à Parochis, sed etiam à Religiosis, vt non nisi absoluti Theologi supra dictas Conciones præsumant habere. Sed cùm de Sanctis fiet Concio, simpliciter proponantur eorum virtutes populo imitandæ, vt imitari non pigeat, quorum festa celebramus. Conciones Funerales, vt fiant post Sacrificium Missæ suademus exemplo S. Caroli Borromæi multis ex rationibus. Hæ æquè sint sobriæ circa laudes defunctorũ ad ædificationem populi in virtute S. Obedientiæ mandamus. Longæ & fastidiosæ Geneses, Gentilium more stylo vanitatis humanæ non fiant, cùm hoc sit, homines prædicare, non Christum. Memor erit Sacerdos & Scripturæ, & S. Prosperi monitorum: Hoc dicat Sacerdos, quod ex Divina lectione didicerit, quod illi DEVS inspiraverit, non quod præsumptione humani sensûs invenerit. Ecce DEVS loquitur ad illos: *Annunciabitis eis ex me.* scilicet: Ex me, non ex te, mea verba loquêris. Rectefacta dùm recensentur, æmulationem Virtutis accendunt. Geneses quid mortuis prosunt?

De Sacrificijs Missæ.

ACcessuris ad tremendum Missæ Sacrificium Sacerdotibus, hæreat mente oraculum Spiritûs S. per Concilium Tridentinum prolatum: *Dominus Noster IESVS Christus è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit.* Et infrà: *Vna eademq́ est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit.* Ergò opus est, vt Sacerdos meminerit se esse ipsius Christi Vicarium: Ergò debet esse tam Sanctus, vt ipse Christus, juxta illud: *Sancti estote, sicut ego Sanctus sum.* Ne fortè Sacerdotes immundi, scandalosi, terribilem illam Domini juxta Malachiam audiant vocem. *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra.* Et alio loco: *Oratio* Malach. 1.

ejus fiat in peccatum. Nam etsi Sacrosanctum Missæ Sacrificium ex seipso, & infinita dignitate sua est acceptabile DEO, quia in eo ministerio Sacerdotis seipsum Christus offert Patri suo Æterno; Væ tamen homini Sacerdoti, qui consecrat indignè, reus erit Sangvinis & Corporis Domini. Quò ergò altior dignitas nostra Sacerdotalis, quò character noster indelebilis major est omni potestate, quia Vnigeniti DEI Filij Vicarium gerit illius scilicet qui dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra:* tantò sanctior, tantò innocentior, tantò gratior debet esse DEO; ad Altare DEI accedens Sacerdos. Probet ergò seipsum homo Sacerdos, & sic de pane illo edat. Audiant Chrysostomum: *Necesse est Sacerdotem esse purum, vt si in ipsis cœlis collocatus, inter cœlestes illas Virtutes medius staret.* Ergò audiat S. Concilij Trident: monitum: *Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absq; præmissa Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere audeat* Alias juxta S. Paulum ad Hæbreos: *Filium DEI conculcãt, & Sanguinem Testamenti pollutum ducunt, & Spiritui gratiæ contumeliam faciunt.* Qua in re ordinavimus, vt tàm DD. Archidiaconi, quàm Decani seriò inquirant, an Sacerdotes pridiè celebrationis sanctè pièq; se gesserint? an digesta crapula vel cibo? an præparati accedunt ad hoc tremendum Sacrificium? DD. verò Parochianorum obligamus cõscientias, vt scientes, quòd Sacerdotes ad altare accedunt iram DEI deprecaturi, Sacrificium grande pro peccatis populorum oblaturi, se, ceu sepem inter DEVM & domum Isràél, posituri, non dent occasiones seu per potationes, seu per detentiones ad vespertinas mensas, longas confabulationes, lusus, ijsdẽ Sacerdotibus offensionis Divinæ. Imò deferant, si quid simile (DEVS avertat) per Sacerdotes committi viderint. Interest enim cujuslibet Christiani, ut Sacerdos sit in gratia DEI, amicus DEI, servus fidelis DEI, qui debet deprecari DEVM pro ijs, quorum ipsi cura demandata est, Ex Sacris autem Canonibus, & ex Pastorali Epistola Maciejoviana à Sancta Sede approbata, Missas antelucanas præterquam in Nativitate Domini prohibemus in Diœcesi Nostra, vt abusum multos generantem abusus, scandala & occasiones peccandi. Constatq; nobis CASIMIRO Jagellonidæ Regi Poloniæ, & SIGISMUNDO Augusto, tùm quibusdam Serenissimis Reginis Poloniæ à Pontificibus Roma-

Romanis per speciale Privilegium concessum fuisse ad vitæ tempora; & hoc tantùm in aula Regia privatum Missarum antelucanarum vsum. Proindè tempore Adventûs, vel decrescente die, Missæ in aurora fient, sub pœna suspensionis in delinquentes. Patuit enim Sanctæ & Vniversali Ecclesiæ, qua ex causa pervigiles noctes celebrari olim solitas abrogaverit, aut potiùs in Jejunia diurna converterit. Eædem omninò causæ recutrunt circa antelucanas devotiones, & in seram protractas noctem. Similiter cùm multi abusûs circa altaria, portatilia, & eorum vsus committantur, declarationem Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium S. Concilij Tridentini Interpretum Illustriss: olim Andreæ Szołdrski, Antecessori Nostro desuper factam hîc adjungimus. Vt autem tollantur abusus Regularium circa altaria portatilia, pariter Officia interponent cum eodem Sanctissimo, vt demandare dignetur Secretario Brevium, ac alijs Officialibus, nè illa concedant, nisi sobriè, limitatè, magnâq; circumspectione; & insuper ijdem Eminentissimi Patres, sub comminatione pœnarum præcipient Superioribus eoruudẽ Regularium, ut formam hujusmodi concessionum ad amussim observent. Quandoquidem verò per nimium freqnentes Sanctissimi SACRAMENTI expositiones, non tantùm devotio, sed & reverentia tantis debita Mysterijs minuitur, inhærendo plurimorum Summorum Pontificum Ordinationibus, tùm præcipuè declarationi S. Congregationis Eminentissimorum Cardinalium S. Concilij Tridentini Interpretum præfato Illustriss: Antecessori Nostro factæ, quæ est tenoris talis: *Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit non licere Regularibus etiam in eorum proprijs Ecclesijs Sanctissimum Eucharistiæ SACRAMENTVM publicè adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ ab Ordinario sit approbata; ex causa autem privata, non posse Sanctissimum Eucharistiæ SACRAMENTVM à tabernaculo extrahere, sed ibi velatum remanere, ita, vt ipsa Hostia videri non possit.* Statuimus vt in nulla Ecclesia tàm Sæcularium, quàm Regularium utriusq; sexûs Venerabile SACRAMENTVM publicè & solenniter exponatur, nisi in Festo & per Octavam Sacratissimi Corporis Christi, in die Titularis Patroni, vel Dedicationis Ecclesiæ. Vbi verò Confraternitates Sacratissimi Rosarij vel Scapularis adsunt,

unica prætereà intra menſem expoſitio, idq; matutinis horis tantùm non prohibetur. Si verò in aliquibus Eccleſijs aliquæ laudabiles devotiones cum expoſitione Sanctiſſimi SACRAMENTI ab antiquo introductæ reperiantur, eas nobis vel Reverendiſſimis Officialibus Noſtris, Generalibus, Prælati vel Paſtores Eccleſiarum ad notitiam deferant, vt judicari pôſſit, an ad augmentum cultûs Divini utiles ſint. Nullus verò in poſterum novas alias introducere poterit ſine expreſſa Noſtra vel Officij Noſtri licentia. Nolumus tamen hoc Decreto Noſtro quidquam derogare laudabili conſuetudini qualibet feria quinta Miſſam cum expoſitione celebrandi, ubi Confraternitas Sanctiſſimi SACRAMENTI fundata eſt. Quin potiùs eandem devotionem in alijs Eccleſijs Parochialibus propagari ſummoperè cupimus.

De Sacris Imaginibus.

CVM multorum circa Imagines, Reliquias, & Invocationem Sanctorum in Diœceſi Noſtra reperiamus abuſum & errorem, ita; ut populares prohibitam à Sacris Canonibus in Imaginibus ponere fiduciam, plurimis ex Clero non ſolùm non prohibentibus, ſed quodam modo multoties lucri cauſâ errorem foventibus. Proindè Ordinatione Sacro-Sancti Concilij Tridentini ſtatuimus; ut in Diœceſi Noſtra, maximè verò in illis templis, ubi Imagines miraculoſæ, vel quaſi miraculoſæ exponuntur, ſub peccato mortali & Noſtris arbitrarijs pœnis ſint obligati Sacerdotes tàm Sæculares, quàm Regulares, Sacri Concilij Tridentini Canonem hac in materia Polonico Idiomate recitare coram Populo, exponereq; tàm de invocatione Sanctorum doctrinam veram, deq; cultu Imaginum; ut omnis error penitùs indoctæ plebis & ſpecies Idololatriæ tollatur. Quem Canonem Polonicè traductum, ad calcem Synodalium Conſtitutionum apponi curabimus.

Con. Trid. ſeſſ. 25. de invocatione, & veneratione. c. Mandat Sancta Synodus &c.

De Catecheſi Facienda.

SYnodaliter Statuimus, ut Paſtores Animarum, Rectores Eccleſiarum, in id totis viribus incumbant, quatenus ſalutari cibo paſcant oves Chriſti in hunc modum. Ea quæ

ſunt

sunt scienda necessitate medij, sine quo homo salvari non potest, doceant universos & singulos; ita, ut nemo sit in Parochia, qui hæc ignoret, defectu Instructionis Pastoralis. Cùm autem videmus agrestem multitudinem ita depressæ esse capacitatis, ut illa quæ sunt scienda necessitate Præcepti, explicitè addiscere nequeat, sufficiet, si implicitè crediderint hæc, quæ Sancta Romana Ecclesia Mater credenda proponit. Hortabuntur itaq; Pastores, Dominos, & Possessores Villarum, ut quolibet festo curent subditos suos frequentare Ecclesias; scientes obligatos esse in conscientia id facturos, reddituros q; DEO rationem, si secùs fecerint; multò mágis, si impediverint. Non sine lachrymis etenim in Visitatione Episcopali reperimus tantam hominū multitudinem ignorâsse fidei rudimenta in tantum, ut etiam vetulæ senes ultrà viginti annos circa Ecclesiam manentes, ex Eleemosynis victitantes, simili ignorantiâ laborare inventæ sint, summo cum opprobrio Pastoralis diligentiæ. Eum ad finem statuimus, ut Conciones in parvis Oppidis & Villis dividantur bifariam. Prima Pars explicationi totius Evangelij lecti tribuatur per simplicem & moralem expositionem ad corrigendos mores, excitandam devotionem; & non duret nisi media horula. Secunda Pars Concionis sit Catechistica, id est, doctrina Fidei, Spei, Charitatis. Doctrina de Sacramento Baptismatis, Pænitentiæ, de Sacramento Sacrosanctæ Eucharistiæ, de Extrema Vnctione, ad captum singulorum. Si verò contigerit post Concionem promulgare Banna, statim Paucis verbis dicatur aliquid de Sacramento Matrimonij, ut discant tempestivè noscere id, quod sunt suscepturi Sponsi; doceatur hoc Sacramentum esse vivorum Sacramentum. Ideòq; debere priùs præcedere huic Sacramento Sacramentum Pœnitentiæ, nè ullus Parochorum præsumat sub vigore Juris non confessis hominibus benedicere Matrimonium. Vt verò supradicta executioni mandentur, Conciones illas, quæ pro themate vnam ex Evangelio propositionem accipiunt, super qua Concionator sermonem suum dilatat, & totus Evangelij textum non expositum relinquit, relegamus ad magnas Civitates, ad sublime Auditorium, ad Concionatores benè fundatos.

De In-

De Instruendo Populo ante Missam & Communionem.

STatuimus, ut universi & singuli Sacerdotes curent decorem Domûs DEI, non solùm in candore linteorum, nitore apparatuum,; sed etiam in pietate & modestia venientium hominum ad Domum DEI, nè ampliùs confabulationibus, risibus personet Ecclesia, bōbardis, canibus, avibus, & summâ cum irreverentiâ frequentetur; propterea statuimus, ut Sacerdotes domi induti superpelliceis intrent Ecclesiam, flexisq; procidant genibus, ante locum, ubi asservatur Sanctissimum SACRAMENTVM, & illicò conversus ad populum paucis verbis hortetur eum venisse ad Domum DEI Viventis, venisse ad portam cœli, venisse ad ædes ubi DEVS colitur, ubi DEVS promisit petētibus gratias, & benedictiones suas, ubi tremendum Missæ Sacrificium, oblatio munda celebrabitur. Et hoc ipsum Sacrificium quamuis incruentum, in altari exhibebitur, quod in monte Calvariæ pro salute humani generis semel est exhibitum. Debere ergò Populum venire in omni pietate & modestia ad Domum DEI, sine canibus, sine avibus, sine armis ignitis. Debere venire sine pompa & fastu, dum pulvis & umbra venit se sistere Creatori suo. Debere omnes dissensiones, ebrietates, foris relinquere, ut valeant in Domo Domini ambulare cum consensu; debere discursus, colloquia, alteri loco profano reservare. Talis vel similis admonitio præcedat Sacrificium Missæ,
Matt. 21. ut fideles agnoscant se esse in Domo Domini, ex quo Christus Dominus ementes & vendentes ejecit tanquam ex domo Orationis. Cùm verò Iudæi persisterent in dishonoratione domûs DEI, quam fecerunt speluncam latronum; ideò ejecit eos DEVS non solùm ex Templo, sed & ex Regno dedit in captivitatem, dispersit vagos per orbem; Templum illud maluit dirutum videre ab hoste, conculcatum, quàm à fidelibus suis malè fre-
Psal. 136. quentatum, impiè visitatum. Tum demùm Iudæi super flumina Babylonis sederunt & fleverunt, dum recordarentur Sion.

De Be-

De Benigna Receptione & Auditione accedentium ad Sacerdotes.

CVM videamus defectu Instructionis in populo, & multò magis neglectu Sacerdotum, vel potiùs asperitate morum eorundem, quâ duriùs tractant accedentes ad se, fastuosè reijciunt petentes, segniter curant infirmos, ebrietatibus, incircumspectâ vitâ plurimos scandalizant, tandem id effici, ut pleriq; videantut jam quandam aversionem contrahere contra Parochiales Ecclesias, raròq; ad eas recurrere; Confessiones, Communiones Sacras, devotiones in alijs Templis frequentare, imò Ordinationibus testamentarijs sepulturam aliò destinare, in tantum, ut præter baptismatis Sacramentum Parochialibus Ecclesijs, nihil videatur relictum. Statuimus proindè gravi sub animadversione, ut juxta suprà memorata Statuta vitam nostram corrigamus in melius, nè blasphemetur in nobis Nomen Domini. Induamus Dominum Nostrum IESVM Christum, ejusq; benignitatem, mansvetudinem, & humilitatem. Accedentes ad nos universos & singulos ceu oves Christi pretioso Sangvine redemptas boni Pastores, expansis vt aiunt ulnis excipiamus, memores; quod debitores simus sapientibus & insipientibus. Nobilitatem præsertim & Ecclesiarum Patronos honoremus, & quàm possumus ijsdem benefaciamus. Pauperes ceu fratres nostros, tanquam eos, in quibus Christus ipse nos alloquitur, benignè audiamus, familiaritates nimias, præsertim verò commessationes & compotationes, quibus & DEVS offenditur, & Character Sacerdotalis vilescit, devitemus. Scientes nos esse positos in candelabro, omnes actiones nostras esse in propatulo; neq; opus, ut alibi fodere cum Propheta parietes, ut videatur, quid intùs agatur. Sic commutata in meliùs vita nostra, instruamus populum, ut infirmi notitiam infirmitatis suæ deferant Pastori suo, qui illicò orabit super infirmum, juxta doctrinam Divi Jacobi. Reconciliabit DEO pœnitentem, ut misereatur & tribuat infirmanti sanitatem. Vel si imminent vitæ termini, qui præteriri non poterunt, ut ad viam æterni-

æternitatis ritu Christiano disponatur. Ita quicunq; in infirmitate senserit Pastoralem consolationem & solicitudinem, non quæret extra maternum sinum Parochialis Ecclesiæ sepulturam; maximè verò cùm notum fuerit universis & singulis, eos anathemate ipso facto feriendos, quicunq; ille fiet, qui præsumpserint suadere infirmis, ut sepulturam suam ab Ecclesia ubi baptizatus, ubi Sacramentis pastus, ubi filialiter tractatus vixit, transferat alia ad templa non Parochialia. Redibit sensim amissa confidentia, ad Pastores proprios, si vitæ morumq; probitas, & prisca Sanctimonia in nobis comparuerint; si saluti animarum non turpibus lucris, non avaritiæ, quæ est idolorum servitus, servierimus; si quæsiverimus primò Regnum DEI, cætera adijcientur nobis.

De Instructione Puerorum & Compositione Dissensionum.

STatuimus, ut Pastores gregis Dominici moribus suis invigilantes, invigilent quoq; eorum bonæ vitæ, qui curæ eorum sunt commisi. Puerilem ætatem omnis conditionis blandè instruentes in timore DEI, virtutis amorem ingerendo, fugam vitiorum; & vel maximè præsentiam DEI, ubiq; existentem, omnia videntem & spectantem, doceant eos, qui inspectiones hominum timent. Insuper optamus & mandamus, ut more aliarum per Orbem Christianum Diœcesium, Parochi omnes curent circa suas Parochias habere maturæ ætatis fœminas, præsertim verò Baccalaureorum vxores, benè in Fide S. Catholica instructas, & in probitate morum probatas, quatenus possint aliquam pietatis tincturam dare puellis. Etenim non sine dolore Pastorali videmus alterum sexum ita rudem, ita moribus pijs non excultum, ut pietatis vel recti rationem penitùs ignorent, præsertim verò in plebe agresti. Cùm Nobiles personæ saltim à matribus suis, taliter, qualiter erudiantur. Quapropter etiam conscientias DD. Hæredum & Tenutariorum volumus esse obligatas, ut pro Authoritate, quam habent in suos subditos, juvent Parochos, pœnasq; imponant

ponant Patribus & Matribus familias, ni ipsi diebus festis manè Ecclesias frequentent & Conciones. Pomeridianis autem horis ad Catechismum audiendum mittant famulos & famulas, puellasq; suas & pueros. Etenim quilibet Dominus, Hæres, DEO rationē est redditurus, juxta illud Davidicū: *Et ab alienis parce servo tuo.* Multi Domini pereunt peccatis alienis, quæ dùm non coërcent, tolerantiâ & dissimulatione faciunt propria. Vnde sub districto DEI Judicio caveant, nè Subditos diebus festis horis antemeridianis ab Ecclesia avocent, itineribus divertant. Scientes: quòd quicunq; à DEO avertit subditum, eum DEVS justo judicio divellet à subditis, vt villicum iniquitatis. Nec benedicet Domui ejus, qui Domum DEI frequentare Subditos suos non edocet. Et cujus Subditi non sunt fideles DEO, nec erunt Domino temporali. Maturiores verò ætates non solùm in Concionibus, sed etiam extra Conciones suaviter, charitativè reducendo ad meliorem viam: componendo fluctus exortos inter personas connubio junctas, inter vicinos, inter amicos. Omnia in Spiritu DEI, in charitate Christiana, rogando, obtestando, præmio vitæ æternæ alliciendo, conservando inter partes mediam viam Pastoralem, nè pars alterutra, aliud in Pastore suo videat, quàm curam salutis & animarum. Hæc si non profecerint, scandala publica in Congregatione Decanali deferat Decano, mediaq; ab eodem ibidem inquirat Parochus, quâ ratione ea tolli possint Paterna & medicâ manu. His non procedentibus Episcopo significetur, procul tamen ab exaggeratione, procul ab odio, quòd contumaces plerumq; reddit peccatores. Odio habeamus sola vitia hominum, homines ipsos & personas Charitate & compassione complectamur.

De non facili Sacerdotum ad lites motu.

CVM reperiantur nonnulli inter Sacerdotes ad lites prōpti, quas Equestri Ordini intentant, intentando animos exasperant. Indè statuimus, ut DD. Officialibus Nostris, vel Nobis ipsis causa intentandæ litis exponatur. Nos verò, vel DD. Officiales tentabimus civiliora media priùs; & non nisi his

non procedentibus, licentiam jure agendi concedemus. Et hoc statutum intelligi debet nonsolùm de Criminalibus, sed etiam de Civilibus: Videmus enim multoties Ecclesias deseri prætextu litigiorum, odia crescere in immensum, minimis ex caussis occasionem dari Patronis Ecclesiarum querulandi contra Pastores suos. Non erit igitur gravè Sacerdotibus priùs consulere Officium Nostrum, quàm ad Tribunalia, vel Jurisdictiones sæculares præcociter currere sub pœnis in secùs facientes.

De Instructione hominum in quocunq; Officio existentium.

STatuimus, ut in obligationibus suis moneatur per Pastores, & instruatur omnis hominum conditio, non solùm enim communibus offendimus peccatis DEVM, sed etiam multò magis aliquando Divinam ejus Majestatem ad iracundiam provocamus, non satisfacientes obligationi, quæ ex conditione Statûs & Ordinis nascitur. Eum ad finem Pastores diligenter legent Catesim Nostram pro vtroq; statu Spirituali & sæculari, pro diversis conditionibus hominum editam: Docendo alios ipsi quoq; discent, prout & Nos facimus; maximè verò prudentes sint circa peccatorum differentias, primo loco ponendo peccata contra amorem DEI, post hæc peccata contra amorem boni publici, quia longè graviùs offenditur DEVS ex læsione vniversorum, quàm ex offensione singulorum. Detractiones personarum in sublimitate & Magistratu positarum, sunt longè graviores, quàm eæ, quæ privatis personis infliguntur; Difficilior restitutio in ijs, quæ communi bono subtrahis, quæ Principibus & Magistratibus detrahis, quàm quæ privatis & & paribus facis.

De non exigendo pretio pro sepultura & Administratione Sacramentorum.

VIgore SS. Canonum statuimus & sub rigore pœnarum inhibemus, nè Parochi (quod hactenus fiebat in pluribus locis) licitationes faciant, vendantq; terram pro sepul-

turis fidelium tàm intra Ecclesiam, quàm in Cemeterijs, & pro sono campanarum exigant pecuniam notabilem: sed sint contenti, quod vitricis Ecclesiæ dabit pro posse & liberalitate quilibet sua. Habent enim vndè vivant Sacerdotes DEI, nè odium Ecclesiastico Statui inducant, quasi lucra quæreremus de funeribus. Animadvertent proindè DD. Decani seriò inquirentes in transgressores præsentis legis; quâ etiam cavemus exigi quidquam pro administratione Sacramentorum, illaq; munuscula, quæ confitentes ad Confessarium ferunt ad Ecclesiam, abolita esse volumus: passim enim credunt minoris capacitatis homines se absolvendos à peccatis pro munusculis, faventiorem daturum aurem Parochum, si oculi ejus non vacuas aspexerint manus accedentium. Pro assistentia circa Matrimonium & pro Benedictione antecedanea; nihil per Sacerdotes exigi volumus, quamvis liberalitati vltroneæ successu temporis factæ non ponamus legem.

De Decimis & Censibus.

DEcimas DEO esse à Principio mundi consecratas, Christiana docet Veritas. Nilq; aliud esse, quàm recognitiones Supremi erga DEVM Dominij. Quod cum Catholica Fide, vbi Poloniæ Principes didicerunt, omnibus se decimis, quas illi nobilitas & plebes per totum Regnum pendebant, se abdicârunt. easq; DEO in possessionem veræ fidei ejusq; obsequio consecrârunt. Sed quia per conniventiam Confessariorum, pleriq; obligationi suæ hac in parte non satisfaciunt; Ideò hîc responsum S. Congregationis Concilij Tridentini sæpè prænominato Illustrissimo Andreæ Szołdrski Antecessori Nostro, factum inserendum esse duximus, quod est tenoris sequentis: *Occupatores Proventuum & Decimarum Ecclesijs Parochialibus solvendarum absolvi non possint; nisi secutâ actuali restitutione, ac reintegratione, juxta Decretum* c. 10. sess. 22. *De Reform. Idq; significandû Confessarijs Cleri Sæcularis & Regularis, quod etiam in Vrbe Superioribus Regularibus fact. per ejus amplitudinem expressione Religionum illic existentium.* Vndè Instructione Venerabilium Parochorum, Concionatorum, ac Confessariorum nemo sit, qui in Diœcesi Nostra ignoret Decimam

cimam esse Iuris Divini, à qua nemo dispensari potest, cùm sit actus recognitionis Dominij & Beneficij Divini in tantum, vt ingratus in DEVM sit, imò & rebellis in ejus Majestatem, qui decimam ex eo, quod D E V S ipsi dedit, dare D E O recusat. Vndè mirum non est; si ab ingratis sua beneficia tollit D E V S. Pro mille nobis vnum sufficiat exemplum, quod Traditione non vana accepimus: Illustrissimam Opaliniorum Domum ab aliquot sæculis ex patronimicis bonis semper pendisse, & nunc pendere decimam manipularem, hilaresq; datores erga D E V M se exhibuisse memoratorum Bonorum hæredes. Vndè docente experientiâ informamur de continua terræ ijsdem in bonis fœcunditate. Perpetuatas autem in eadem familia benedictiones DEI, nisi peregrinus in Polonia ignorabit. Nec obstat, quòd Sacerdotes aliquando reperiantur, qui abutantur decimarum proventibus, Domino suo stant, Domino cadunt. Erit DEVS, qui malos servos judicabit. Te tamen, qui reddis decimas nomini ejus, vt fidelem subditũ laudabit. Fortè & Caim hæc ratiocinia habuit, dùm deteriores decimas quàm Abel obtulit DEO. Fortè ille dixit: Flamma vorax est, ad quid ipsi offerre, quod bonum est? Decimæ pars magna in fumum convertetur, qui naso & oculis molestus erit. Non pertinget ad cælum vsq;. Revertetur in cineres steriles, altera pars oblationis. Ergò meliùs, vt meliora mihi relinquam, flammæ nihil dabo. Iustus Abel hos discursus non habuit, cæcam obedientiam præstitit. *Respexit DEVS munera ejus*, Loquere, quid places, qui negas decimas? Dic: Sacerdos helluo est, fumabit totus, lachrymas mihi excutiet insolenti acrimoniâ. Dabit Consangvineis, vel nescio cui dissipabit. Non te Caim ingrati excusabit cavillatio. DEVS à te vult, quod ipsi debetur, cœcam obedientiam, non discursum. Decimam partem eorum, quæ dedit, reposcit, eorum, quæ sole & benignâ pluviâ fovit, quæ à sterilitate & grandinibus servavit, & tu frivolo prætextu negabis DEO, vt habeas, quo diffluas. Cave, nè ab ingrato DEVS, manibus aut hostium, aut casuum, aut creditorum, non solùm fruges, sed & matrem frugum auferat terram. Vtiq; qui dedit benignè, justè auferre potest. Huc spectant retentiones censuum pietatum majorum fundatorum. Habet DEVS in tua villa domum suam, sed & tu

tuam

tuam in terra DEI. Facis injuriam domui DEI, quomodo non times talionem à tam Justo Judice in tua domo? Tollis pietatem Majorum tuorum, ergò & benedictionem tibi subtrahis divinam, quam ipsi meruerunt. Ergò non ascendes ad eos gradus, in quibus illi fulsêre beneficio DEI. DEVS justus est, Liberalitate se vinci non patietur, sed & impietati non succumbet. Cessabunt in templo Sacrificia, cessabit Psalmodia ob detentos proventus, cessabit & gloria tua in mundo. Silebitur nomen tuum in posteritate. Scis quid dicit Supremus rerum humanarum Arbiter: Qui me contemnunt, ignobiles fient. Quis autem magis DEVM contemnit, quàm qui Ecclesiam damnificat, pias fundationes tollit. Cui oppressus & angustiatus maledicit Sacerdos, quomodo benedicetur à Domino?

De Sacramento Baptismi.

VT major Sacramento Baptismi habeatur honor sub pœnis arbitrio Nostro reservatis seriò mandamus, vt nullus infantem extra Ecclesiam (excepto necessitatis casu) baptisare sine Nostra vel Officij Nostri licentia præsumat; Monebunt similiter Parochi Parentes, vt infantes ad summùm octavo à nativitate die, ad baptismum deferant, nec vlteriùs eum audeant differre. Ceremoniæ pariter Baptismi (si quis fortè sine illis baptisatus domi in casu necessitatis fuerit) quàmprimùm suppleantur. Vt verò consvetudini illi, quæ introduci cernitur, quòd infantes Magnatum sine vlla necessitate domi tantum baptizentur, dilatis in plures menses, quin & annos, Ceremonijs obvietur. Nullus Parochorum id facere audeat, nisi ad hoc expressam à Nobis vel Officio Nostro habuerit facultatem.

De Matrimonio.

MAximè dolendum, quòd illud Salvatoris de indissolubilitate Matrimonialis vinculi mandatum: *Quod DEVS conjunxit, homo non separet*, tàm facilè & tàm frequenter violetur, cùm passim videamus Conjuges, propriâ authoritate, & sine legitima causa ab invicem separari. Omnibus igitur Diœcesis

cesis Nostræ Parochis seriò mandamus, vt si quem in Parochia sua propria authoritate, & sine Officij Nostri licentia, vel Decreto, ab vxore, vel vicissim separatos sciverint, si post factam admonitionem cohabitare noluerint, id quàmprimùm ad Decanos suos referant. Quorum obligationis erit, id Officio Nostro denuntiare. Quodsi Parochi vel Decani in hoc fuerint negligentiores, sciant se à Nobis seriò puniendos esse. Præcipimus pariter omnibus Parochis, vt concubinarios, publicos peccatores, blasphemos, & alios scandalosos, si qui in Parochia ipsorum reperientur, sive per se, sive per Decanos suos, ad Officium deferant, aliàs non tantùm DEO, sed etiam Nobis malè administrati muneris rigorosam rationem reddituri.

De Communione Paschali.

QVia plurimi Præcepto Communionis Paschalis non satis faciunt, omnes Concionatores, tàm Sæculares, quàm Regulares, Dominica Passionis in Concione populum moneant & instruant de obligatione, ex qua omnes tenentur in Ecclesia Parochiali propria, tempore Paschali Sacram Communionem suscipere. Parochi verò in principio Quadragesimæ populum suum conscribant; tempore verò Communionis Paschalis, schedulas impressas vel scriptas, cum sigillo Ecclesiæ suæ omnibus distribuant, quas postea translapso Communionis Paschalis tempore, ab uno quoq; recipiant, vt numerum schedularum, cum numero personarum conferre queant. Si quis verò inventus fuerit qui Communioni Paschali non satisfecerit, eum ad Officium deferant, vt excommunicationis anathemate, juxta Sacros Canones, feriatur.

De Observatione Iejuniorum.

INter cæteros qui in Diœcesim Nostram irrepserunt abusus, est frequens Jejuniorum, quæ tàm sacrosanctè Majores nostri coluerunt in observantia, passim enim, non tantùm exteri homines, qui domicilium in Polonia fixerunt, sine vlla necessitate & licentia sextis ferijs, necnon in Quadragesima alijsque

jejunio-

jejuniorum diebus lacticinijs vtuntur, verùm etiam illorum exemplo plures ex indigenis idem sibi licere putant. Seriò igitur Parochi moneant, nemini licitum, etiam esse ex advenis, qui animum domicilium figendi in Polonia habent (quod multó magis de indigenis intelligi debent) prædictis diebus lacticinijs vti. Si qui verò necessitatem vel causam legitimam habuerint, facultatem à Nobis, vel ab Officialibus Nostris petant, qui verò sine necessitate & licentia id fecerint, & moniti desistere noluerint, eos ad Nos vel Officiũ Nostrũ Parochi deferre tenebuntur.

De Indulgentijs.

QVia quandoq; contingit, quòd in vsu Indulgentiarum multi committantur abusus, cùm non tàm pietatis studio, quàm questûs gratiâ, vel falsæ, vel apocriphæ, vel jam revocatæ publicantur. Constitutionem Szołdrscianam in Synodo Posnaniensi in hac materia editam, reassumendo mandamus, vt omnes Ecclesiarum etiam Religiosarum, etiam Mendicantium, Confraternitatumq; Prælati & Administri, intra quatuor menses à publicatione præsentis Synodi Omnium Indulgentiarum Apostolicâ benignitate sibi Concessarum, vnà cum literis alijs desuper expeditis, notam fidelem ad Nos, vel ad Officium Nostrum transmittant. Quæ verò in futurum impetrabuntur, etiam ab exemptis in Ecclesia ipsorum publicari non poterunt, nisi priùs à Nobis, vel ab aliquo ex Reverendissimis Officialibus Nostris fuerint approbatæ.

De publicatione Bullæ, Cœnæ Domini.

QVamvis in Concilio Provinciali Gnesnensi celebrato Petricoviæ Anno 1628. Ordinatum fuerit, vt Bullæ Cœnæ Domini bis intra annum, hoc est Dominicâ I. Adventûs, & Quadragesimæ, à Parochis publicentur. Quia tamen id frequenter omitti cognovimus Ordinationem Concilij Provincialis, reassumendam duximus, quæ ut ab omnibus servetur, seriò præcipimus.

De Suffragijs pro Defunctis.

VTI Parochi fideles Christi ad exhibenda animabus Purgatorij Suffragia sæpè monebunt easdē ac orationibus & Sacrificijs suis adjuvare studebunt, ita nè qui abusus in eo committantur seriò invigilabunt: & quia inter plures simpliciores, hanc falsam persvasionem inolevisse accepimus, nec defunctis ullam requiem, nec sibi à defunctis pacem futuram, nisi pauperibus convivium exhibeant, in quo vt plurimum ebrietates alijq; excessus committuntur; ideò Parochi, similia convivia, in quibus DEVS tàm frequēter & graviter offenditur, dissuadeant, doceantq; id multò gratiùs & animabus defunctorum vtiliùs fore, si quæ in mensas & compotationes expendenda sunt, Hospitalibus vel alijs verè indigentibus distribuantur. Similiter cùm irreverentiæ plurimæ in Ecclesijs fiant, dùm in die Fidelium defunctorum cibus & potus pauperibus distribuuntur, plurimiq; ex ipsis, vel vix non omnes benè poti domum redeant; Parochi hæc fieri, vel penitùs non permittant, hortantes fidelem populum, vt eas expensas in utiliores, magisq; necessarias eleemosynas convertant, vel si absolutè impedire non potuerint, in Ecclesijs fieri non patiantur.

De Duellis.

ATrocitas duellorum, in nostro Regno ingravescere videtur, quando comperimus provocationes mutuas fieri, etiam tempore Comitiorum: vnde animi Procerum scinduntur, odiorum, & discordiarum incentivum crescit, & animæ fraude dæmonis circūventæ, periculo æternæ damnationis subijciuntur: ideò Verbi divini prædicatores meminerint ejusmodi pericula, & atrocitatem populo proponere, & eundem instruere de pœnis excommunicationis, quas ipso facto incurrunt, non tantùm duellantes, sed etiam svadentes, comitantes, & spectantes, vt patet ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. de Reform: *Detestabilis duellorum vsus fabricante diabolo introductus, vt cruentâ corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe pe-*

nitùs exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumq; alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati; ac jurisdictione, & dominio civitatis, castri, aut loci in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur: &, si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ, juxta Sacros Canones, puniri debeant. Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiasticâ sepulturâ. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tàm in jure, quàm facto dederint, aut aliâ quâcumq; ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocunq; privilegio, seu pravâ consvetudine, etiam immemorabili.

De osculo Patenæ post Sacrificiũ Missæ.

INgens abusus irrepsit, post Sacrificium Missæ, passim sine delectu, & sine respectu dignitatis, ac conditionis, quibuslibet porrigendi Patenam ad osculandum, ex quo fit, vt ejusmodi pietatis cultus, facilè in vilipendium vergat, quando Sacerdotes personam Christi tunc agentes, ab altari ad homines se demittunt, & circa cancellos Ecclesiæ, vel scamna circumcurrunt, investigantes patronos suos, quibus exhibeant patenam, & per hoc gratiam eorundem sibi demereri satagentes: proindè hujusmodi abusum totaliter in omnium Ecclesijs etiam Regularium, eliminare studentes, Synodaliter mandamus, vt solis Principibus, id est præcipuâ dignitate in Regno fulgentibus, & Ecclesiarum Patronis, prout de jure est, in posterum detur post Sacrificium Missæ, reverenter, & cum pietate patena ad osculandum.

De celebratione Festorum.

UT vniformitas, quoad celebritatem Festorum servetur in tota Diœcesi nostra, & in populo omnis confusio, & scrupulus tollatur, statuimus Synodaliter, vt omnia illa Festa

celebria habeantur, & à Verbi Divini præconibus semper promulgentur, quæ in Provinciali Synodo Maciejoviana celebria statuta sunt, scilicet: *Mense Ianuario.* Circumcisio Domini. Epiphania Domini. S. Agnetis Virginis & Mart. *Mense Februario.* Purificatio B. M. V. S. Mathiæ Apost. *Mense Martio.* S. Casimiri Confess. S. Iosephi Confess. Annuntiatio B. M. V. *Mense Aprili.* S. Adalberti Episcopi & Mart. *Mense Majo.* SS. Philippi & Iacobi Apost. Inventio S. Crucis. S. Stanislai Episc. & Mart. *Mense Iunio.* Nativitas S. Joannis Bapt. SS. Petri & Pauli Apost. *Mense Iulio.* Visitatio B.M.V. S. Margaritæ Virg. & Mart. S. Mariæ Magdalenæ. S. Iacobi Apost. S. Annæ Matris B. M. *Mense Augusto.* S. Laurentij Mart. Assumptio B.M.V. S. Bartholomæi Apost. *Mense Septembri.* Nativitas B.M.V. Exaltatio S. Crucis. S. Matthæi Apost. Dedicatio S. Michaëlis Archangeli. *Mense Octobri.* Festum S. Francisci Confess. Fundatoris Ord. FFr. Min. de præcepto vbiq; locorum Celebre ex Decreto S. Congregationis Rituum à S. D. Nostro approbato die 3. Ianuarij. 1622. & in Tabella Festorum vbiq; de præcepto S. Romanæ Ecclesiæ obseruandorum Romæ publicato. 1631. SS. Simonis & Iudæ Apost. *Mense Novembri.* Festum Omnium SS. S. Martini Episc. & Confess. S. Catharinæ Virg. & Martyr. S. Andreæ Apost. *Mense Decembri.* S. Nicolai Episc. & Confessoris. Conceptio B. M. V. S. THOMÆ Apost. Nativitas D. N. I. C. S. Stephani Protom. S. Ioannis Apostoli & Evangelistæ. SS. Innocentium Martyr. & alia Festa mobilia, Pascha, Ascensio Domini, Pentecoste. ita tamen; vt ad ea, quæ per Constitutionem Provinciæ, & non ex ordinatione Vniversalis Ecclesiæ, celebria sunt, non obligamus sub peccato mortali: vndè tempore messis, exigente necessitate poterit fieri dispensatio circa operarios.

De Casibus Reservatis.

CAsus reservati, tàm Summo Pontifici, quàm Loci Ordinario habentur in Rituali Provinciæ, quod in vsu quotidiano est apud omnes Ecclesiarum Rectores: proindè eosdē hîc non inserimus, sed tantùm declaramus, quòd omnes, & singulos ibi expressos casus Episcopales Nobis reservemus: ita

vt

vt nullus sine speciali Nostra facultate ab his absolvere possit, aut præsumat, nè animæ pœnitentium, nullitate absolutionis interveniente, illaqueentur. Sciant ergò omnes, etiam Regulares, pro ejusmodi facultate obtinenda tempestivè recursum facere, ad Nos, vel ad Officium Nostrum. Specialissimè autem diffamationem personarum, in præcipua dignitate Regni positarum, tàm Ecclesiasticarum, quàm Sæcularium, Nobis reservatam volumus: ita, vt si quis habuerit facultatem ab omnibus Nobis reservatis, hic casus non intelligatur inclusus, nisi expresè specificemus eundem in facultate concessa.

De absolutione Hæreticorum.

CVM plerumq; accidat, quòd conversi ad Fidem nostram Catholicam, ad pristinos errores suos revertantur: nec de tali illorum relapsu sufficiens possit haberi probatio, & convictio. Ideò tam nefando malo occurrere volentes, ordinamus (excepto casu in articulo mortis) nè in posterùm potestatem absolvendi ab ejusmodi criminibus, habentes, convertendum absolvant, & ad gremium Ecclesiæ Catholicæ Romanæ admittant, nisi priùs probato per aliquod tempus spiritu illius; & factâ instructione in articulis Fidei nostræ Catholicæ Romanæ. Ad hæc; vt ejusmodi conversio & erroris revocatio; nec non absolutio, publicè, vel saltem coram tribus, vel ad minùs duobus testibus fide dignis peragantur. Tandem talis actus conversionis, revocationis, & absolutionis, tùm nomina & cognomina, tam conversi, quàm testium, in Metrica Baptisatorum illius Ecclesiæ Parochialis describantur: vt in casu relapsûs possit facilior haberi probatio & convictio. Contrarium facientes, sciant se pœnas arbitrarias Nostras incursuros.

De Vestitu Sacerdotali.

VEstium Nostrarum cultus sit Canonicus, scilicet, talaris habitus largus; non ille gracilitati corporis accommodatus, gynæcealis, muliebre quid & delicatum præseferens. In itinere brevior esse potest, non tamen arctus; color omninò

 niger,

niger, nec griseus, nec violaceus juxta præscriptum Sacrorum Canonum. Vanitatis enim indicium est, incompetentes sibi sociare colores, peccaminosum, Sacris non obedire Canonibus, ad Chorum sine rochetto, & mantoleto nequaquam accedent sub privatione distributionis illius diei, & pœna suspensionis. Pileos Sacerdotales rotundos, vestibus nigris concolores deferent, cùm non deceat coronâ Sacerdotali decoratū caput vulgari sæcularium operimento profanari: tùm quòd Sacri Canones Apostasiam quandā credunt esse in eo, cùm Clericus sæcularis est, & in habitu non incedit. Et cùm sæculares homines suo sunt contenti habitu, quàm leve est Sacerdoti profanos sectari cultus.

De Conservatoribus.

STante Constitutione Gregorij Papæ XV. quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster, D. Gregorius Divinâ providentiâ Papa XV. &c.* de Conservatoribus, quorum vsus est saluberrimus, juxta præscriptum dictæ Constitutionis, nominati sunt in præsenti Synodo Conservatores.

Pro Majori Polonia.

Perillustris & Admodum Reverendus D. Franciscus Mielzynski Archidiaconus Posnanien. Vtriusq; Iuris Doctor.

Perillustris & Admod. Reverend. D. Alexander Koszanowski, Custos Posnanien.

Perillustris & Admod. Reverend. D. Theodorus Korzeniowski, Archidiaconus Psceven. S. T. D. Canonicus Gnesnen.

Perillustris & Admod. Reverend. D. Nicolaus Zalaszenski, Vtriusq; Iuris Doctor Canonicus Posnanien.

Perillustris & Admodum Reverend. D. Ioannes Rydzynski, Gnesnen. Posnanien. Canonicus.

Perillustris & Admodum Reverend. D. Casimirus Osowski, Vtriusq; Iuris Doctor Canonicus Posnanien.

Pro Ducatu Masoviæ.

Reverendissimus Dñus Suffraganeus Posnanien.

Reverendissimus Dñus Casimirus Szczuka, Abbas Paradien.

Peril-

Perillustris & Admodum Reverend. D. Tomisławski.
Perillustris Dńus Godlewski.
Perillustris Dńus Vladislaus Przerebski.
Perillustris Dńus Olszowski.

IVDICES SYNODALES.

Pro Majori Polonia

ijdem, qui & Conservatores.

Pro Ducatu Masouiæ

ijdem, qui & Conservatores.

EXAMINATORES SYNODALES.

Pro Majori Polonia.

Perillustris & Admod. Reverend. D. Franciscus Mielzynski, Archidiaconus Posnanien.
Perillustris & Admodum Reverend. D. Stephanus Moręski, S. T. D. Canonicus Posnanien.
Perillustris & Admodum Reverend. D. Casimirus Osowski, V. I. D. Canonicus Posnanien.
Illustris & Admod. Reverend. D. Director Academiæ Posnanien. Collegij Lubransciani.
Admod. Reverend. Dńus Martinus Lubeski, Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis Posnanien.
Religiosus Pater Ordinis Prædicatorum Ecclesiæ Cath. Pœniten.

CENSORES LIBRORVM.

Pro Majori Polonia.

Perillustris & Admod. Reverend. D. Nicolaus Zalaszewski, Vtriusq; Iuris Doctor Canonicus Posnanien.
Perillustris & Admodum Reverend. D. Stephanus Moręski, S. T. D. Canonicus Posnanien.
Perillustris & Admodum Reverend. D. Casimirus Osowski, V. Iuris D. Canonicus Posnanien.

Illu-

Illustris & Admod. Reverend. D. Director Academiæ Posnaniensis Collegij Lubransciani,

EXAMINATORES SYNODALES
Pro Ducatu Masouiæ.

Perillustris Dnus Ioannes Chrysostomus Olszowski.
Perillustris & Admodum Reverendus Dnus Tomisławski.
Admod. Rev. D. Bartholomæus Tarło, Præpositus ad S. Crucem Missionariorum, & Superior ejusdem Congregationis.
Adm. Rev. D. Matthæus Ilmstatt, Præpositus Goren: Canonicus Supranumerarius Varsavien. cum Regente Seminarij.

De Congregationibus Decanalibus.

QVoniam Congregationes Decanales multum fructus adferunt in Clero Diœcesis Nostræ, quæ hactenùs sunt laudabiliter prout accepimus observatæ. Proindè, vt & in posterùm juxta præscriptum Constitutionum Synodalium sæpiùs diligenter peragantur commendamus. In quibus Congregationibus, vt Clerus Diœcesis Nostræ Constitutiones præsentis Synodi Typis impressas præsentet, easdemq; diligenter legat, & observet, sub pænis arbitrarijs mandamus, & singulos ad easdem Constitutiones habendas obligamus.

APPROBATIO FVNDATIONIS Missionariorum Varsaviensium.

QVandoquidem Congregatio RR. Sacerdotum Missionis ab Illustrissimo & Reverendiss. D. Casimiro Duce in Klewan Czartoryski Episcopo Posnaniensi Prædecessore Nostro in Diœcesim Nostram recepta, vberes hucusq; tàm per Missiones, quàm per Seminaria Ordinandorum, Parochorumq; Exercitia Spiritualia in hac Vinea Christi adferat fructus, ac in dies majora præstare non destistat. Ideò Nos non tantùm eosdem RR. Missionarios ad exercendas easdem functiones juxta Instituti-
tutum

tutum suum à S.Sede Apostolica approbatum recipimus, sed etiam incorporationem Ecclesiæ Præposituralis S. Crucis Varsaviensis in Suburbio Cracoviensi ab eodem Illustriss: Prædecessore Nostro eidem Congregationi factam, tùm & donationem Bonorum Dawidi pro Seminario Varsaviensi, à Venerabili Capitulo Varsaviensi ipsis concessorum ab Illustrissimo & Reverendissimo Dño Stephano Wierzbowski, itidem Antecessore Nostro, accedente etiam S. Sedis Apostolicæ beneplacito approbatam Synodaliter confirmamus, & eidem perpetuæ firmitatis robur adijcimus, quos vt conditioni in donatione Bonorum, & approbatione à Venerabili Capitulo Varsaviensi, de fovendis Seminaristis appositæ, & per S. Sedem Apostolicam admissæ satisfacere non intermittant obligamus.

APPROBATIO SEMINARIJ circa Collegiatam Varsaviensem.

CVM nihil sanctius, nihil vtilius, Ecclesiæ in terris militanti pro augenda gloria DEI, pro Clero formando atq; reformando, reperiri queat, quàm Seminariorum erectio; posteaquam non ita pridem Seminarium circa Ecclesiam Collegiatam Varsaviensem erectum est, in eoq; Sacerdotes Sæculares in commune viventes, Pro directoribus perpetuis sunt collati, atq; eidem Seminario domus Collegij Vicariorum in perpetuum est vnita, eandem vnionem, ordinationem, & fundationem in omnibus punctis & clausulis præsentis Synodi authoritate approbandam esse censuimus prout & approbamus.

Titulus Sacerdotum in commune viuentium.

OMnibus in comperto est, quos fructus Ecclesiæ adferat Instituti Apostolorum imitatio, proindè dum eandem Institutum Sacerdotum in commune viventium à Sede Apostolica approbatum apprimè profiteatur, quod per Illustrissimum Antecessorem Nostrum Goram seu Neohierosolymam est inductum. Ideò eorum fundationem in Diœcesi Nostra Synodaliter admittimus & approbamus.

APPROBATIO FVNDATIONIS CANTORIÆ in Ecclesia Collegiata Varsaviensi.

FVndationem Primicerij seu Cantoris, in Ecclesia Collegiata Varsaviensi ab olim Illustrissimo & Reverendiss: Stephano de Magna Chrząstow Wierzbowski, immediato Antecessore Nostro factam, & jam in executione existentem, cui Prælato locus ante Cancellarium est designatus, tanquam Ecclesiæ proficuam Authoritate præsentis Synodi approbamus.

APPROBATIO FVNDATIONVM in Nova Hierusalem.

FVndationes in Nova Hierusalem ab Illustrissimo Prædecessore Nostro ritè & legitimè factas, præsentis Synodi Authoritate approbamus, & confirmamus; vt tanti Præsulis pietas, & munificentia gratâ recordatione nunquam intereant, sed opera ejus dicant gloriam DEI.

Constituitur Decanus Borkouiensis.

LIcet antea Clerus Ecclesiarum Borkoviensis, & Zdżiesżeviensis ex Xenodochialis in Oppido Borek fuit incorporatus Decanatui Kozminensi, Archidiaconatûs Sremensis; Nihilominùs ex quo hanc Prærogativam Prædecessores Nostri, olim Illustrissimi Albertus Tholibowski, & Stephanus Wierzbowski, propter magnum numerum Cleri in ijsdem Ecclesijs existentis Parochis Borkoviensibus tribuerunt, vt Parochi Borkovienses, hoc munere in posterùm in perpetuùm gaudeant, eandem applicationem Synodaliter approbamus, & Decanatum Borkoviensem à Decanatu Kozminensi independentem declaramus.

O Obrazách.

Z Roskazánia S. Concilium Trideńskiego ordinuiemy ták Duchowieństwu Naszemu, iáko y Zakonnikom, áby w pierwszą Niedźielę, káżdego Mieśiącá, po Kazániu záraz dla náuki Wiernych Chrześćian, y oświecenie Heretykow, o poszánowániu Obrázow Swiętych, tę náukę Kośćiołá Swiętego Katholickiego z ambony czytáli.

Obrázy zás Chrystusowe, Bogárodzice Pánny y inszych Swiętych, w Kośćiołách miánowićie mieć wystáwiáć y zátrzymáć, y onym powinny honor y cześć wyświadczáć powinni wierni Chrześćiánie. Nie dla tego iednák, żeby kto wierżał w nich bydź iákie Bostwo, álbo że obrázy máią moc iáką w sobie, dla ktorey trzebá im część oddawáć. Albo dla tego, żeby miał kto o co prośić obrázow, álbo w nich vfność iáką záſadzáć. Iáko to przed tym Pogáńskie Narody w báłwanách swoich nádźieię pokładáli. Ale że tá część ktora się obrázom oddáie, należy do tego Oryginału, ktory się w obráźie reprezentuie; ták dálece że w tych obrázách, ktore cáłuiemy, przed ktoremi głowę zchylamy, y przyklękamy, nie obrázy, ále Chrystusá sámego, y Swiętych iego adoruiemy, pátrząc ná ich podobieństwá w obrázách. Co wszytko Concilia Swięte, á miánowićie Concilium Wtore Niceńskie w Dekretách swoich przećiwko burzyćielom obrazow postánowiło.

Záczym niechay wie káżdy Kátolik, że zápátruiąc się ná obrázy, przypomina sobie káżdy táiemnice odkupienia nászego y ártykuły; przypomina dobrodźieystwá y łáski, ktore od Chrystusá odbiera; przypomina cuda Swiętych Bożych y pomocy onych, zá ktore Bogu dźiękuie. Y ná to są obrázy Swięte, że z nich prośći ludźie czytáią ták zbáwienne rzeczy, iáko mądry z Kśiąg pismá S. Dármo tedy Heretycy zle sądzą o obrázach, rozumieiąc, że my Kátolicy nádźieię nászę w obrázach mamy, że się nie do Bogá álbo Mátki iego, ale do obrázow, álbo Studźieńskiego, álbo Częstochowskiego, álbo ktorych inszych ućiekamy. Co nigdy nie iest, bo się do Bogá y do Swiętych iego, ktorzy są przez obrázy wyráženi vciekámy. Nie do fárby, álbo

álbo płotná, álbo do deski, álbo do srebrá y złotá, z ktorego obraz iest zrobiony. Obrázy tedy Swięte ták szánowáć powinnismy, iáko słowá, álbo pismo Swięte, gdźie nie literom, álbo pápierowi, álbo drukowi kłániamy się, gdy śpiewáią Ewángelią, ále się kłániamy y cześć dáiemy temu, kogo owe słowá Swięte wyrażáią.

O Collatorách Plebániy y inszych Beneficya.

TAż władzą Nászą Biskupią dla Zbáwienia dusz ludzkich, dla ustrzeżenia wielkich grzechow, w ktore PP. Collatorowie częstokroć wpadáią, postánowiamy. Aby náukę Duchá Swiętego, ktorą Concilium S. Trydeńskie nápisáło, trzy rázy ná rok, to iest w pierwszą Niedźielę Adwentową, w pierwszą Niedźielę Postu Wielkiego, y w dźień S. Troycy po Kázániu z ambony czytano, *sub pœnis arbitrio Nostro infligendis*, wszytkich społecznie y káżdego z osobná Duch S. nápomina, przez Concilium S. Trydeńskie, áby káżdy ktokolwiek ma prawo y moc prezentowáć Kápłáná ná Zwierzchność Duchowną, do záwiádowánia dusz ludzkich, miał to naybárdźiey w pámięći, że nie powinien ná wygodę swoię pátrzyć w tey osobie, ktorą promowuie,, ná prywatne áffekty, ná krewność, dopiero strzeż Boże na zysk iáki, albo ná vsługę przyszłą. Ale powinien mieć zá pierwszy cel Chwałę Boską, zbáwienie ludzkie, ná godność, ná zdolność, ná poczćiwość, ná przykłádne życie tego, ktory ma być Pásterzem, álbo Przełożonym w Kośćiele, ták dálece; że ktoby mniey godnego, mniey przykłádnego, mniey sposobnego prezentował, álbo promowował ná Przełożeństwo Duchowne y záwiádowánie dusz ludzkich; tedy cokolwiek grzechow, cokolwiek strat zbáwienia ludzkiego, cokolwiek zgorszenia, cokolwiek zániedbánia Chwały Bożey popełni owá prezentowána Osobá, álbo promowowana; wszytkich tych grzechow y zbrodni á pogotowiu y kary Boskiey będźie vczestnikiem Pátron y Promotor. A nie tylko ten co promowuie Pátron, ále y ten co examinuie Biskup, toż popada. Dopieroż gdy o większe Beneficia idźie y Prelatury, to ná ten

czás, nie tylko o Kárdynałách, ktorzy examinuią Processy Biskupie, ále y Naywyższym Oycu S. toż Concilium S. nápisáło: Ze gdyby (strzeż Boże) niezdolny, álbo niedbáły był ná Preláturę promowowany; tedy owieczek Chrystusowych krwie stráconey będźie z rąk tych wszytkich Spráwiedliwy Sędzia vpominał się.

Niechże tedy widzą PP. Collátorowie, iáko trzebá bydź ostrożnemi, gdy u nich álbo ten, álbo ow, przez tych, álbo przez owych, przez te, álbo owe stára się o prezentę, o promocyą do Plebániey, częstokroć dla wygody własney, álbo koni swoich, nie dla przysługi Chrystusowey, nie dla zbáwienia dusz ludzkich, nie dla chwały Bożey.

Niech vważa iák drogie są vkłony, kiedy ich duszą włásną, gniewem Boskim, trzebá potym opłacáć będźie. Gdy niesprobowánego, nie dobrze znaiomego, niezdolnego człowieká promowuiesz ná Beneficium, y w tey promocyey twoich wygod, twoich interessow, nie Boskiey chwały szukasz. A ták y ćiebie, y owego zgubisz; á dopieroż tych, ktorzy pod rząd iego poydą.

O Zapowiedźiách Stanu Kápłáńskiego.

ORdynuiemy tákże, áby ktokolwiek zábiera się do Stanu Duchownego, w Páráfiey swoiey własney trzy rázy był zápowiedány; *gratis* iednák *sub pœna arbitrio Nostro infligenda*, w te słowá: Według postánowienia Kośćiołá Swiętego Kátholickiego, vdáie się do Stanu Duchownego, Vrodzony, Szláchetny, N. N. Więc że do tego stanu według praw Duchownych, nie powinni być przypuszczeni kalecy, ślepi, cierpiący wielką chorobę, Infámisowie, krzywoprzysiężcy, nierządem się báwiący, náuki należytey nie umieiący, dwożeńcy, wdowożeńcy, bárzo ná twarzy záráżeni, nie spełná rozumu, ći co krew ludzką lali, co kryminał iáki popełnili, włoczęgowie, wyklęći, ći co ráchunkow nie oddali, lubo Pánu, lubo Rzeczypospolitey, lubo Woiewodztwu. Ci co są łożá nie dobrego, ktorzy się vpijáią, ktorzy się kostersttwem, kártámi, tańcámi, myślistwámi, handlámi, szyprowániem báwią,

Co się łáskom Wáſzym donośi do wiádomośći, obowiązuiąc ſumnienia wáſze, ábyśćie dawáli znáć, ieżeli wiećie o iákiey przeſzkodźie do ſtanu Duchownego; pámiętáiąc iednák we wſzytkim ną ſtráſzny Sąd Boży, żeby z gniewu y záwźiętośći z niechęći iakiey nic nie vdawáć.

O Zapowiedźiách Slubnych.

POnieważ zágęśćiły ſię nie tylko w tey Diœcezyey, ále práwie w cáłym Krolestwie rozwody: dla tego, że ludźie nie máią Instrukcyey należytey koło Sákrámentu Małżeńſtwá; Przeto ordinuiemy, áby przy zwyczáynych zapowiedziách tę záraz informácyą z ambony czytano, to ieſt:

Ze ſię nie godźi nikomu żenić w krewnośći, y w powinowáctwie Duchownym, áż wprzod będźie Conſiſtorz náſz informowány, y uzna, na co może bydź diſpenſá z Rzymu á ná co nie. Ze do ſlubu áni Męſzczyzná, áni płeć białogłowska, nie powinna bydź przymuſzona, bo ſlub táki nie ważny, y klątwá ieſt ná tákich co przymuſzáią, lubo Oćiec, lubo Mátká, lubo Opiekuni. Trzećia, że według poſtánowienia Kośćiołá S. ná Concilium Trideńskim, żeby był ſlub ważny, potrzebá żeby był przy tym ſlubie przynamniey iedney ſtrony Pleban álbo iego Namieſtnik, álbo przynamniey pozwolenie od Biskupá, álbo od Officiała iego. Ináczey, ſlub nie ważny, gdy Pleban, álbo Kápłan aſſiſtencyą czyni, ktory do żadney ſtrony nie nalezy. Więc że z tych okázyi zágęśćiły w Polſzcze rozwody. Dla tego też te tylko okázye tu przypominamy dla przeſtrogi wczesney. Przy tym obowiązuiemy wſzytkich Kápłanow należących do aſſyſtencyey ſlubow; áby vczyli, że to ieſt Sákráment wielki, iáko S. Páweł mowi, reprezentuiący złączenie Chryſtuſá z Kośćiołem Swiętym. Y dla tego kiedy ieſt z początku ważny ſlub, żaden go Biskup rozwieść nie może, bo co Bog złączył, tego człowiek nie rozłączy. Gdy zás ſlub ieſt nie ważny, dla wſpomniánych przyczyn, to Biskup ſlubow nie rozwodźi, ále tylko dekláruie, że ſlubu prawdźiwego nie było, że ſlub był nie wazny. Y dla tego chocby obie ſtronie zgodźiły ſię ná to, żeby były rozwiedźione, to poſtá-

remu muszą dowodźić, że ślub ich iest nie ważny, bo to tylko kontrákty świátowe zá pozwoleniem stron, mogą się rozwiązáć. Y ná co się obie strony zgodzą, to trzećiemu nie szkodzi. Slub zás będąc Sákrámentem, należy do Kośćiołá Bożego, y dla tego dwie strony z krzywdą trzećiego, nie mogą rozrywáć ślubow, iáko zwyczáynie *ex consensu partium* rozwiązuią się obligácye Polityczne.

De observatione Decretorũ Synodaliũ.

QVia frustrà leges conderentur, nisi debitæ mandentur executioni, ideò omnibus & singulis Diœcesis Nostræ Sacerdotibus in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, vt quæ præsenti Synodo constitutæ sunt, quàm exactissimè observare studeant. Quilibet verò Parochus Decreta præsentis Synodi, postquam impressa fuerint apud se habeat, & seriò legat. Admodum verò Rńdi Archidiaconi, nec non Decani in visitationibus Decanalibus, seriò attendent, an ea, quæ hîc ordinata sunt, debitè observentur? Si quid verò negligi animadverterint, opportuna adhibebunt remedia; vel si rei gravitas exigat, Nos hac de re, vel Officium Nostrum, reddent certiores.

SER-

SERMO
in Synodo Diœcesana Posnaniensi habitus

à Perill: & A. R. D. Casimiro Ossowski S. Th. & V. I. D. Canonico Posnaniensi,
Die 27. Mensis Octob.

Nihil est, quod Nos, Confratres & Auditores Adm: Rndi in Statu & Dignitate Nostra Sacerdotali, magis conseruet, confirmetq; quàm si vocationis Nostræ memores, eò vitam moresq; instituamus, vt non tantùm Nomine, sed re exhibeamus, quod sumus. Quid enim tibi prodest vocari, quod non es? & Nomen vsurpare alienum? si Christianum te esse delectat, quæ Christi & Christiani sunt gere, & meritò tibi nomen Christiani assume, clamat Augustinus. (de vita Christiana.) *Vocamur Clerici seu Clari, id est juxta Græcum Etymon, sortes; illæ sortes, quas sibi Christus in hæreditatem elegit, & in quibus regnare voluit;* (Apoc. 5.) *quantùm ergò recedimus à Nomine, si locum demus diabolo, & hæreditatem Christi prostituentes, Christum à nobis proscribimus. Vocamur sortes, per quas Christus animas lucrari voluit,* (Luc. 19.) *quanto ergò pudore afficiemur, si nulla animarum lucra quærimus, nullum fructum afferemus. Ministri sumus Christi, videamus, nè seruiamus Antichristo.* (Bernard.) *Posuit Nos Christus Sacerdotes, id est sacros Duces, vt gregi nobis* (Ioan. 10.)

bis commisso ad vitam praeeamus, eundemq; per fallacia mundi illicia ducamus. Videndum ergò est, nè simus Duces cæci, nè ipsi cadentes, populum Nobis commissum in foueam ducamus. Nos sumus illa dos, quam Christus desponsando sibi Ecclesiam, assignauit, & elegit ex Nobis; Oseæ 2.
curandum ergò est, nè diuortiemur Christo, nè dotem Christo debitam demus hosti. Voluit Nos esse populum ac- 1. Petr. 2.
quisitionis, vt cœlo animas acquiramus: quàm ergò à fine Nostro recedimus, si locò acquisitionis perdamus, mactemus, & à Christo deterreamus. Dedit Nos ouibus suis Pastores, Ioan. 10.
vt per nos vitam habeant, & abũdantiùs habeãt, quid ergò dicemus si nullam vitæ spiritualis ouium curam gesserimus, nihil de illarum salute solliciti fuerimus. Premite illud, vt abundantiùs habeant, tunc abundantiùs à Nobis vitam Gloss. ord.
habebunt, dum ad possidendam cœlestem patriam, non modò præscriptis medijs & præceptis easdem ducimus, verùm etiam ad majores gradus, seu Mansiones illius beatitudinis obtinendas, heroicos virtutum actus, Christianæ perfectionis merita, & supererogationis actuum easdem erudimus argumenta.

Hoc ergò est Fratres AA. RR. quod Nos vocationis Nostræ admoneat, vt non tantùm nomine, sed & re Ministri DEI simus. Quod si verò infirmitate, aut fato ali- Apoc. 2.
quo à vocatione Nostra exciderimus, & Nomen sine re portauerimus, deformantes imaginẽ ad cujus prototypon formati sumus, verbo dicam: Vitam Moresq; Nostros non ita vt decet, composuerimus, prouisum Nobis est, de remedijs, quibus curemur, & in melius reformemur, dum Diœcesanas Synodos singulis annis eo fine celebrandas indi-

sess. 24. de Refor. cap. 2. xit Tridentinum, vt singulis annis emendemur, in quo errauimus, & reformemur, in quo ab Instituto Nostro deuiauimus. Nempè inueterato vulneri & malo, si citò non succurritur, serò post medicina paratur. Profectò non alio fine Diœcesanas Synodos placuit institui, nisi vt essent abrogatio errorum, amuleta vitiorum, antidota peccatorum, excitamenta virtutum. Sed dolemus Fratres AA. RR. quod in ea incideramus tempora, quæ cum neglectu Diœcesanarum Synodorum, hæc omnia Nobis subtraxerunt, Lassati sumus currentes vias non bonas; aberrantes à via Iustitiæ, & non fuit qui nos reduceret in viam salutis. Aberrauimus à tramite illo, qui ducit ad Matth. 7. vitam, imò potiùs, latâ & spatiosâ viâ, quæ ducit ad perditionem, currebamus, & non fuit qui Nos impediret; Antiquam Clericalem disciplinam deseruimus, mores vitamq; in malum commutauimus, ab Institutis Nostris, & vocationis Nostræ defleximus, & infelicatate Nostrâ per quadraginta septem annos, non habuimus qui Nos corrigeret, reformaret, & Synodaliter loqueretur Nobis verbum. Infelices nos, imò maximè infelices. Nempè post aureas Fortunam hujus Cathedræ, & totius Diœcesis vehentes Szołdrscianas Onerarias, id, quod Officij erat, Synodaliter exonerantes, prima, & ideo noua affulsit Nobis felicitas, in accessu Nostri Illustrissimi PRÆSVLIS, qui non tantùm in primo suo Ingressu Nos visitare, satis habuit, verùm etiam vix expectato anni curriculo, Synodaliter conuocare & reformare nos dignatus. Fecisti, PRÆSVL Illustrissime, quod rarò alij: & hoc initio regiminis Tui, quod longo annorum tractu, Antecessorum nemo ausus;

Vltima Diœcesana Synod. habita. 1642. ab Illmo Andrea Szołdrski.

Primus ingressus ad Cathedrã 1688. in Octobri.

Non

Non sat fuit, verbo & exemplo monere, vnicuiq; monita salutis dare, magnam Diœcesis partem in Persona visitare, reliquum oculis committere, & per eosdem expedire; Verùm insuper Synodaliter Nos conuocasti, vt Te amantissimum omnium Pastorem ostenderes, Nos vigilantissimum venerarremur. Archidiaconis.

Audiuimus quanta facta sunt per Te Kijouiæ, quam licet rudiorem in Etymo, rude ex vtroq; donatus Pontifex, ita expoluisti, an excoluisti, vt quæ antea erat cubile draconum, nunc fieret pascua Agnorum, Sedes Iunossorum. Audiuimus quanta facta sunt per Te Luceoriæ, quæ ad vacuum nomen lucis, tantùm splendoris à Te Præsule, accessisse sibi gloriatur, quantùm & illuminandis Schismatum vmbris, & detegendis Atheorum noctibus, luciq; publicæ sistendis, ac dignâ apotheosi condemnandis satis esset. Parasti tot cœlo majores hecatombas, quot in erecto Ianouiæ Seminario addixisti animas. Auxisti certantis in terris militiæ aciem, quot emeritis veteranis erudiendos dedisti tyrones. Reliquisti æternam Nominis Tui memoriam, dum tot ægris antidota, quot Synodalia Decreta, tot collapsæ disciplinæ fulcra, quot reformationum sancita, tot deniq; viua æternæ vitæ præcepta, quot impressorum librorum dedisti monumenta. Ita vt dimisso Natiuo Campo, gentilitia Vri Capita, illam Diœcesim in pascua sibi petant. Quid plura memorem? Nec absimilia hîc spectamus, & felicitati Nostræ ex hac Synodali primâ concione bono omine, præsagimus. Profectò conuocasti Nos in Octobri, vt vel ipse mensis octies Nos beatos prædicet Te Pastore. Crescunt alibi felicitatis

Successit Illustriss: Załuski, de armis Iunosza, Episcop: Kijovien.

Atheus ex Diœc: Luceorien: condemnat⁹. Distribuit Pauperum medicinã, more Præsulum Galliæ, & exẽplo Innocentij XI. ad castra missam.

Successit Illmus Lesczyński, Ep. Luceo.

Synodus habita in Octob. die 26. *tis argumenta, Nostram plùs intendi non posse probat ex Tuo aduentu October, documento, quod & primò ingredientis & hodiè Synodum agens venias in Octobri. Post*
Crescens Novemb. *crescentem Lunæ cursum, ad plenitudinem jam venimus, dum Te Præsulem nacti sumus. Et nè fatalis feralisq;*
ingressus solis in Scorp. *nuper ingressus Scorpionis inficeret, feriretq; præstò est amuletum, dum contra venenatos morsus, an mores, tot porrigis antidota, quot Synodalia Decreta. Accurrunt,*
Festũ SS. Simonis & Iudæ in crastino Synodi. *an applaudunt Synodalibus Tuis gestis duo Apostolici culminis Nomina, vt in facie duorum & hoc Synodale fiat verbum documento, quod in admirationem an venerationem præsentis Synodi, Suprema Apostolatûs Capita, desuper condescendant. Triumphantis militiæ Prodromi, certantem Te, & in hac Synodo desudantem, veniunt spectatores, vt Nomen & zelum Tuum cælo ferant, nisi fortè cælum, obseruantissimum Te Iurium Canonumq; in Si-*
Simon obediens. Iudas, Laudatio. *mone, laudatissimum verò in Iuda Præsulem voluerit declarare. Hujus ergo Præsulis laudatissimi habetis Fratres AA. RR. Nomen, spectatis in hac Synodo zelum. Pascit vos in Domino Synodalibus Decretis, & nè nociuum quid vobis vestroq; Instituto excrescat; magno studio & conatu euellit & eradicat: dignitati Vestræ ac simul ruinæ, quod absit, consulit, dum vos his amuletis*
S. Hieron. *in disciplina Clericali satagit continere. Grandis dignitas Sacerdotum est, sed grandior si peccant, ruina: lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti mœroris erit de sublimioribus cecidisse. monet Hieronymus. Vt ergo vos in statu vestro conseruet, & à ruina præseruet, his vos munit edictis.*

*edictis. Auocat Vos à curis ſæcularibus & mundi vani-
tatibus, quid vobis honeſtius, quàm Miniſtros Chriſti non
pollui mundi illecebris? elegit vos Chriſtus de mundo, &* Ioan. 15.
cur iterùm reuertamini in idipſum? Mementote quòd Luc. 9.
Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens re- Gloſſa.
*tro (id eſt mundi & ſæculi alligatus negotijs) aptus ſit re-
gno DEI.*

*Præcipit veræ fidei ardorem, quid juſtiùs, quàm da-
tam DEO, totiesq́; repetitam ſeruare fidem? eandemq́; ad
extremum vitæ ſpatium aſſerere? Fidelis DEVS eſt, ta-* 1. Theſſ. 5.
*les etiam vos fide viuâ per charitatem formatâ, & fideli-
tate illibatâ, ſibi ſuoq́; Succeſſori adlegi vult ſeruos, ve-
riti nè fidem DEO, illiusq́; in terris Vicario fidelitatem
non ſeruantibus, fides vobis non ſeruetur.*

*Ad lectionem Sacram vos adhortatur. quid decentiùs,
quàm ibi mentes auresq́; arrigere, vbi Spiritus Sanctus lo-
quitur ad cor? Certè ſi vniuscujusq́; artis præcepta diſcen-
da ſunt, vocationis Veſtræ, Inſtituti & Officij: vndè præ-
cepta diſcetis, niſi ab hoc promptuario omnium virtutum
pleniſſimo, ſacra ſcilicet lectione? Hæc eſt illa officina* ad Tit. 2.
*erudiens vos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia de-
ſideria, DEO viuatis. Hæc eſt illa vnio, quæ vos,
menteſq́; veſtras eleuatas in Spiritu, & à terra abſtractas,
vnit cum DEO, & cælo infert.*

*Tollit à vobis ebrietatem & ingluuiem: quid Statui
veſtro accommodatiùs, quàm illius meminiſſe: Fratres ſo-
brij eſtote? Fax libidinis ebrietas, quò magis affunditur,* 1. Petr. 5.
*eò magis accenditur: an patiemini hanc libidinis facem,
qui eſtis lux mundi poſiti in candelabro? Mater omnium* Matth. 5.

 vitio-

vitiorum, nouerca virtutū, ebrietas, an arridebit, quæ vos à vera Matre, cujus Filij estis Ecclesia, toties auellit,
Psal. 31. *quoties facit sicut equos & mulos, quibus non est ratio & intellectus. An nescitis quod hæc virtutum nouerca, tot venenatos vobis infigat morsus, quot propinet haustus?*
Novercæ. *Lurida crudeles miscent aconita nouercæ. Ingluuiem*
Phil. 3. *abolet, nè sitis ex illis, quorum Deus venter est, & nè illud improperij locò dictum vobis seruiat: Omnia dant ventri, nil capiti. Quid illa ciborum repletio est, nisi internorum spirituum exstinctio, venientium desuper illustrationum præclusio, & omnis acediæ fomes & origo? Polygamiam spiritualem probibet: quid honestiùs, quàm Sponsum vni Sponsæ associari? si diuisus est in sponsas affectus, verendū est, nè mater negligatur, si filia plus ametur:*
Seff. 7. de Reform. *Mementote Tridentini: Valde felix ille censendus est, cui vnam Ecclesiam benè ac fructuosè, & cum animarum sibi commissarum salute, regere contigerit. Quid ergò,*
Lib. 3. Decret. cap. 3. *cùm vnum Officium vix implere sufficiatis, stipendia vobis vendicetis plurimorum? monet Decretalis.*

Arcet cohabitationem cum altero sexu. quid vocationi Vestræ conformius? Nonnè vos templum DEI viui
1. Cor. 6. *per inhabitantem in vobis Spiritum Sanctum estis, an ergò alias adsciscetis cohabitatrices? & ad templum DEI eas*
Prov.. *quæ foris esse debent intùs admittetis? An ignem quo uramini, in sinu fouebitis, & non potiùs longè ab illo recedetis?*
Eccli. 21. *An mordentē colubrum patiemini? an aciem gladij, quo ca-*
Hebr. 11. Eccli. 45. *datis, stringetis? Fugite hæc monstra vos à DEO deter-*
Isaiæ. 13. *rentia, has Syrenes ad æternam ruinam vos ducentes; fugite has Hydras tot capitibus Vestræ saluti inimicas.*

Sacri

Sacri Mystæ, & mysteriorum DEI dispensatores, quid vobis cum infami illo mysterio detecto per Ioannem? apparuit mulier, & habebat in fronte scriptum: mysterium. 1. Cor. 4. Apoc. 17.

Ad scientiam vos adhortatur. quid vtilius vobis, quam scire ea, quæ DEI sunt, & sapere, quæ vobis incumbunt? Math. 16.

Legatione fratres fungimini pro DEO ad populum, quid ergò vos scire deceat, vt functioni debitè respondeatis? Verba vitæ æternæ loqui tenemini: an ergò per ignorantiam canes muti, non valentes latrare, velitis esse. Pabulum expectant â vobis paruuli, quid fiet, si non erit, qui frangat eis, aut nesciat. Turpè in vobis sit, positos super Cathedram Moysi fateri: Ecce ego nescio loqui. Mementote illius: Quoniam repulisti scientiã â te, repellam te. 1. Cor. 5. Ioan. 6. Isaiæ. 56. Thren. 4. Matth. 23. Ierem. 1. Osee. 4.

Instillat recollectiones annuas: quid vobis salubrius, quàm illas maculas & næuos annuatim detergere, quos vitæ curriculum adussit. Certè quò sæpius expurgabitis vetus fermentum, eò gratius fietis noua conspersio. Quis enim vestrûm veterem, deformem, habentem maculas & rugas, amâsset induissetq; vestem, si nuptialem & sine macula nouam præstò haberet? Ecce hanc vestem nuptialem vos induit, qui vos ad recollectiones annuas inducit, 1. Cor. 5. Matth. 22.

Deponentes ergò veterem hominem induite nouum, qui secundum DEVM creatus est. Renouamini spiritu mentis vestræ. Deniq; ut Diœcesim hanc tanquam aciem ordinatam pugnantem contra spiritualia nequitiæ instruat, omnes vocationis suæ & votorum adhortatur, vt vnusquisq; stet in gradu suo, & non deserat locum suum. Ephes. 4. Ephes. 5.

Habetis ergò Fratres AA. RR. regulas, ad quas vitam moresq; vestros corrigatis; habetis exemplar virtutum, & ideam

ideam morum, vndè viuendi exempla sumatis; habetis speculum, in quo vestros næuos aduertatis, habetis lumen, quo vmbras depellatis, habetis deniq; præcepta, ad quorum normam mores vitamq; componatis,. Hæc mente, hæc corde relegite, & tenete, & quod perfectiùs est, omni conatu exequi satagite:

Interim PRÆSVL Illustrissime, qui tam salutaria gregi Tuo prouidisti pascua, illud è voto omnium Nostrûm tene, vt quem omnes Cathedræ deligerent & optarent, vni datum Posnaniensi non inuiderent & nunquam Nobis eripi postularent. Nos interim, dum Pastoralem Tuam exosculamur fimbriam, corda Nostra in obsidem votorum, Tibi dâmus, illud apprecantes, vt quem sæcula nobis optatissimum dederũt, Superi diutissimè seruẽt incolumem.

Vive longævus, benè sanus, omnes
PRÆSVL in annos. *Dixi.*

CONCLVSIO ILLVSTRISSIMI.

FInituri Consacerdotes Charissimi præsentis Synodalis Congregationis Nostræ opus, id agamus; vt post biennium juvante DEO ventura Synodus inveniat nos hac in palæstra profecisse. INTERIM in SacroSanctis Missæ Sacrificijs, prout tenemur, rogemus Divinam Bonitatem pro Pontifice Nostro ALEXANDRO Octavo, vt quem Pastorem Vniversalis Ecclesiæ esse voluit, eum verbo & exemplo ijs, quibus præest, proficere faciat multos in annos. Sub illa verò S. Canonis dictione: Memento.

Orabimus pro Serenissimo Rege Nostro IOANNE III. vt qui Divinâ miseratione, suscipiens Regni gubernacula, tot pro Sacrosancta fide,

pro

pro integritate Regni, & Iurium Ecclesiasticorum conservatione, pro promovenda Sacra Religione, Schismaticorum unione, Otthomanicæ potentiæ depressione, gloriosos suscepit agones, ita Regiarum virtutum in dies majora percipiens incrementa prosperè procedat, & regnare valeat de progenie in progeniem.

Memores erimus Eminentissimi Caroli Barberini, Regni Nostri Protectoris, conseruet eum Dominus, cujus vt in Diœcesi Nostra, ita in toto Regno; plenam optimi erga totam gentem affectûs experimur protectionem.

Exolvamus obligationem Nostram Emin: Opitio Pallavicino Cardinali; non solùm pro glorioso Sedis Apostolicæ ministerio in ordine ad Sacrum fœdus sanciendum & promovendum: sed etiam pro singulari in Diœcesi Nostra Reformatione in Clero, & instructione circa visitationes Ecclesiarum propriâ exhortatione, labore & manu suæ Eminentiæ conscripta, quæ omnia præ oculis habemus, memoriâ tenemus, & veneramur.

Eminentissimum Primatem Nostrum eadem Bonitas Divina conservet cum sua in Regno Poloniæ Provincia.

Eminentissimo Denhoff, qui insignem portionem Diœcesis hujus sub Antecessore Nostro personaliter visitauit; verbo, opere, & exemplo instruxit, dies super dies voto Nostro adjiciat Dominus.

Memores quoq; simus Fratrum Nostrorum, Illustrissimi Episcopi Livoniæ, Reverendissimi Suffraganei, Officialium Nostrorum, tum Reverendissimi Sczczuka, Abbatis Paradisiensis, quorum pietas, zelus in DEVM debilitatem Nostram, quà cooperatione, quà participatione oneris charitativè sustentat.

Vobis verò omnibus Consacerdotes Charissimi; præsertim verò Illustrissimo Reverendissimo & Perillustribus Archidiaconis sint grates, pro solicita cooperatione Synodalis hujus Congregationis. Tum & Admod. Reverendo Sanner, ejusdem Synodi Promotori, sit copiosa merces in cœlis.

Grates sint pariter Religiosis ac multùm Venerandis Patribus Provincialibus, Rectoribus, Prioribus, Guardianis, qui licet exempti sint à jurisdictione Nostra, & obligatione accedendi Synodum, tamen per Nos invitati, vel ipsimet personaliter comparuerunt; vel suos Religiosos submiserunt, quorum consilia, & labores redundant in ædificationem populi, ac subsidium Cleri Diœcesis Nostræ; quibus sit retributio æviterna, & gloria meritis adæquata.

O R D O

Præſentium in Synodo, & Excuſatorum.

Illuſtriſſimus Staniſlaus Swięcicki Epiſcopus Chełmenſis, Archidiaconus Varſavienſis.
Illuſtriſſimus Nicolaus Popławski, Epiſcopus Livoniæ, Generalis Officialis per Ducatum Maſoviæ, Varſavienſis Decanus.
Reverendiſſ: Hieronymus Wierzbowski, Suffraganeus & Præpoſitus Poſnanienſis, Vicarius Generalis in Majori Polonia.
Reverendiſſ: Mieſzkowski, Suffraganeus Vladiſlavienſis, Archidiaconus Noſter Sremenſis.
Reverendiſſ: Caſimirus Szczuka, Abbas Adminiſtrator Paradiſienſis, Præpoſitus Varſavienſis.
Perilluſtris Nicolaus Swięcicki, Decanus Poſnanienſis, Referendarius Regni.
Perilluſtris Mielzyński, Archidiaconus Poſnanienſis.
Perilluſtris Otrębus, Cantor Poſnanienſis, Regius Secretarius.
Perilluſtris Koſzanowski, Cuſtos Poſnanienſis.
Perilluſtris Walewski, Scholaſticus,
Perilluſtris Theodorus Korzeniowski, Archidiaconus Noſter Pſzevenſis.
Perilluſtris Valerianus Boczkowski.
Perilluſtris Adamus Milaczewski, Can: Poſnanien.
Perilluſtris Nicolaus Cieciſzewski.
Perilluſtris Andreas Prażmowski.
Perilluſtris Ioannes Rydzyński.
Perilluſtris Staniſlaus Lukomski.
Perilluſtris Andreas Miłoſzewski.
Perilluſtris Caſimirus Oſſowski.
Perilluſtris Franciſcus Daleſzyński.
Perilluſtris Franciſcus Sierakowski.

Per-

Perillustris Albertus Padniewski.
Perillustris Ioannes Przerębski.
Perillustris Romualdus Choiecki.
Post hos, Collegium Pœnitentiariorum.
Collegium Vicariorum.
Collegium Altaristarum.
Collegium Psalteristarum.
Collegium Mansionariorum.
Collegium Præbendariorum. S. Crucis.
Collegium Seminarij Sacerdotalis ad Cathedram.
Capitulum Illustrissimorum & Illustrium Prælatorum, & Canonicorum Basilicæ Varsaviensis.
Capitulum Collegiatæ Beatissimæ Virginis dictum in Summo Posnanien. cum Collegio Altaristarum suorum.
Capitulum Collegiatæ & Parochialis Ecclesiæ Posnaniensis Divæ Magdalenæ, cum Collegio Altaristarum suorum.
Capitulum Collegiatæ & Parochialis Secundæ S. Nicolai, extra Summum.
Capitulum Collegiatæ Omnium Sanctorum.
Clerus Ecclesiæ Parochialis S. Martini, Præpositus, Mansionarij & Altaristæ.
Clerus Parochialis Divæ Margaritæ, Præpositus cum Altaristis.
Clerus Parochialis S. Rochi.
Clerus Ecclesiæ S. Sebastiani.
Clerus Hospitalis S. Lazari.
Clerus Hospitalis S. Crucis.
Clerus Ecclesiæ S. Spiritûs.
Clerus ad S. Valentinum.
Clerus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani.
Clerus Hospitalis S. Laurentij.

Superiores Ordinum Religiosi Patres vocati pro Consilio, salva exemptione illorum.

Conventus Ordinis Prædicatorum intra muros Posnanien.
Conventus Carmelitarum Strictioris Observantiæ.
Conventus Carmelitarum Discalceatorum.
Conventus Ordinis S. Francisci de Observantia.
Conventus Ordinis S. Francisci Minorum.

Conventus Ordinis Strictioris Obseruantiæ S. Francisci.
Collegium S. I. Posnanien. Varsavien. Vałecen.
Confessarij Monialium.
Conventus Ordinis S. Dominici Secundi Habitûs.
Conventus Ordinis S. Francisci Monialium.
Conventus Ordinis S. Dominici Tertij Habitûs.
Conventus Ordinis Carmelitarum.

Vocati sunt postea quatuor Archidiaconatus successivè.

Perillustris Archidiaconus Posnaniensis, cum 8. Decanis suis, Decani cum Parochis.

Reverendiss: Archidiaconus Sremensis, cum 7. Decanis suis. Decani cum Parochis.

Perillustris Archidiaconus Pszevensis, cum Decanis suis, Decani cum numerosis Parochis.

Illustriss: Archidiaconus Varsaviensis cum 11. Decanis suis, & cum Clero.

Reverendiss: Abbates Cistercienses pro Consilio invitati numero 4. salva exemptione, Electione Reverendiss: Vicarij Generalis excusatos se esse voluerunt.

Religiosus Pr. Prior Conuentûs Lubinensis S. Benedicti vacante Abbatiâ adfuit cum Patribus pro debito vocatus.

RR. PP. Missionarij Ecclesiæ Parochialis S. Crucis Varsavien: in persona Admod. Reverendi Bartholomæi Tarło Præpositi sui adfuêre.

Religiosi PP. Scholarum Piarum Varsavien: ad Consilium invitati adfuerunt, scilicet:

P. Ioannes à IESU MARIA, Rector Varsaviensis Collegij, & P. Constantinus à S. Anna Superior Coll: Goren.

Cœteri qui adesse debuerunt, & non aderant, sunt connotati in ordine ad dandas rationes absentiæ.